MEDITATÆ CONCORDIÆ PARS SECUNDA.

QVÆ EST

AVGVSTANÆ CONFESSIONIS INCHOATA REFORMATIO

EX SCRIPTO VERBO DEI.

AVTORE

R.P. JACOBO MASENIO
SOCIETATIS JESU:

AVGVSTISSIMO ROM. IMPERATORI

LEOPOLDO,

ET

SVMMIS ROMANI IMPERII PRINCIPIBVS

IOANNI PHILIPPO
MOGUNT.

ET

IOANNI GEORGIO
SAXONIÆ

ELECTORIBUS OBLATA
Obſevantiæ & concordiæ gratia.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud JOANNEM BUSÆUM Biblipolam
ſub Monocerote 1662.

Digitized by Google

EPISTOLA DEDICATORIA
AD
AVGVSTISSIMVM ET INVICTISSIMVM
ROM. IMPERATOREM
LEOPOLDUM,
HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ REGEM, &c.
DOMINUM SUUM CLEMENTISSIMUM.

PRo cauſa graviſſima, Auguſtiſſime Cæſar, *Tuam Majeſtatem ſupplex obſecranſque convenio, quæ communem populorum quietem, ànimorum in Germanis concordiam, pacem Religionis, fidem tuorum ſubditorum erga Deum hominesque, plurimam ſalutem gentium, tam præſentem, quàm æternam complectitur. Nonignorabis, opinor,* Auguſtanæ Confeſſionis *nomen, ortum, progreſſumque: intellexeris, quemadmodum illa recens nata, iterumque renata, in Comitiis Imperialibus Auguſtæ Maximo Rom. Imperatori Carolo Quinto oblata quondam fuerit, & quâ lege poſtulaniium admiſſa: ut videlicet, ſi quid ex S. Literis certius ſecuriſq; ad veritatem orthodoxæ fidei declarandam occurreret, hoc ab ejuſdem Majeſtatis Cæſareæ protectione excluſū non eſſet. Ecce redit nunc eadem ad Te Confeſſio, longè ad veritatem fidemq; certiori, ac magis etiam diſerta divinarum literarum ſententiâ.*

tiæ. Admitti rurſum poſtulat, ipſaq; nunc prævenit hoc animo Comitia, ut ad illa tantò notior diſsidentibus inter ſe partibus occurrat.

Hoc vero cùm tam Proteſtantium ipſorummet (niſi à ſua illa Confeſsione publica, ac divina veritate manifeſtè diſcedant) quàm Catholicorum omnium votum ſit; ut tuæ Majeſtatis patrocinio ſtudioque, diviſæ Germanorum jam à ſeculo Eccleſiæ, in una veraque religione ſocientur, & ſublato ſchiſmate, tot malorum ſeminario, tot bellorum fomite, tot nutrimento odiorum, in eadem erga Deum fide, erga ſe invicem Dominoſque ſuos fidelitate & concordia vinciantur, non poteris tam æquæ poſtulationi, tamque gravi cauſæ, ex qua publicæ non minus, quàm privatæ ſalutis momenta librantur, pro officio quo fungeris ſupremi Imperatoris, proque illa qua in ſubditos Deumque pietate es, obluctari.

Appellavi in prima parte Meditatæ Concordiæ, *quæ orthodoxam Confeſsionem, in controverſiis hujus ævi breviter complectitur, ſummum Eccleſiæ in terris Principem Romanum Pontificem; ut cujus, poſt Deum, prima in ſacris nobis rebus debet eſſe autoritas. Altera igitur hæc pars Tuæ Majeſtati non uno argumento inſcribenda videbatur. Nam inprimis ſi Imperii Tibi commiſsi tranquillitatem felicitatemque in rebus ſpectes politicis, religionis illæ unius cultum præcipue requirunt. Religio, inquit ex Plutarcho Lipſius,* eſt vinculum, ſive coagulum, omnis ſocietatis, & juſtitiæ firmamentum. Turbata religio, politiam turbat. Utque fratrum odia acerrima ſunt, ſic eorum ferè, qui conſortes aliquando ejuſdem religionis fuere, *(a) Non multis hic exterarum nationum exemplis pro veritate contendum eſt, quando ipſi deplorandum ſatis exemplum univerſo orbi ſuppeditamus;*

(a) de Chriſt. relig.

Digitized by Google

ditamus; Quantum, obſecro, à priſca illa Germanorum concordia ac virtute deflexımus, quæ Romanum olim in Germania fundavit Imperium! Quot quantiſque jam ſeculo integro bellorum fluctibus concutimur, ex hoc religionis diſſidio potiſſimum manantibus! Cur ad alia omnia pacis quietiſque publicæ remedia convertimur, atque ipſos tantorum malorum fontes, ceu imperiti medici, negligimus? Quod ſi in hac ego calamitate & jactatione omnium, Tibi ô ſumme Imperator, tam periculoſo imperii tempore, quo Chriſtiani nominis hoſtis noſtris incumbit cervicibus, adeò facilem æquumque oſtendo exitum, quem nec adverſarii Romanæ religionis, vi ſuæ profeſſionis, declinare poſſint; nec Tua Majeſtas, pro officio ſibi à Deo impoſito, ac ſalute publica ſibi credita queat negligere, intelligunt omnes, quàm juſta ratione hujus Tibi promovendæ defendæque concordiæ partes deferam.

Habebit ipſos Proteſtantium in Rom. Imperio Principes non modò non invitos, ſed cupidos volenteſque, quando præcipui quique (quædam Tua, & horum temporum felicitas) inſigni ſapientia, æquitate, ac moderatione excellunt, &, quo Tibi jure gratulamur, Tuæ Majeſtatis, publicæque tranquillitatis amantes vivunt. Qui ut primùm intellexerint, juxta ſuæ religionis principia profeſſionemque, ex ſola divinarum ſcripturarum ſententia clare aperteq; elucesſcere, utra partium cum illa proximè conſentiat, utra in errore verſetur, ultro lubenteſque cum ſuis ad illam concedent Eccleſiam, quam ſecuriſſimo Verbi Dei fundamento certius inniti deprehendent. Quod cùm in Meditata *hac* Concordia, *atque hujus* Auguſtanæ Confeſſionis Reformatione *ita manifeſtum orbi fecerim; ut adverſariorum nemo tantum ſententiarum lumen humanis commentis ſatis obſcurare queat, & nullus, diſciplinæ ac religionis alicujus capax, non poſſit intueri: exiſtimandum*

non eſt, inter tam obſervantes Tuæ Majeſtatis, tam amantes veritatis, publicæque ac privatæ ſalutis ſtudioſos Principes, quenquam hiſce conatibus obſtiturum.

Sed nec ipſi Proteſtantium in Eccleſiis ſcholiſque Doctores, huic ſeſe conſilio, niſi deſperatæ vitæ ſalutiſque ſint, facilè objicient. Nam ſi ex una parte (quod omninò requirimus) intelligant citra omne honoris opumque detrimentum ſeſe veritatem amplecti, ac profiteri poſſe: ex altera tam manifeſta divinæ vocis oracula ſuis opinionibus adverſari, Romanæque fidei aſſerta tueri; ut penes quos error, aut veritas conſiſtat, nullo poßit artificio ſatis occultari: ſequentur utique quod ad nominis famam glorioſius, ad pacem tranquillitatemque ſecurius, ad ſalutem præſentem & æternam omnium certius eſſe cognoſcent.

Animadverte, obſecro, Sacratiſſime Cæſar, *quanto tum emolumento publico, quanta cum* Tui *Tuorumque Electorum nominis gloria, rem talem tantamque, adeò ad ſalutem populorum quietemque imperii neceſſariam, ſuſcepturus, atque, ut ſpes eſt, ad felicem exitum deducturus videaris. Quo enim hoc putas ſenſu audiendum à præſentis ævi hominibus, excipiendum à poſteris; fuiſſe hac ætate Imperatorem ac Principes, tam amantes veritatis, ſtudioſos concordiæ, reverentes divinæ autoritatis, qui poſt fluctuantem diverſis jam diu opinionibus Germaniam, nec animorum minus, quàm armorum colliſionibus turbatam, ſciſſam laceratamque dißidionibus, autoritate, conſilio, ac prudentia ſua nutantem patriam ſuſtinuerint, humanitate atque æquitate miſerè afflictam recrearint; denique ſingulari virtute & conſtantia, è tantis calamitatibus felicem, in unius religionis concordia, exitum reperint? Hæc tam præclara, ut Deus opt. Max. veſtris animis conſilia ſubjiciat, voſque egregia exequendi voluntate*

Digitized by Google

tate adoptatum deducatis finem, hoc proſtrata jam dudum Germania, hoc univerſa in terris Chriſti Eccleſia, hoc ipſi Majores veſtri in una quondam religione conjuncti, de cælo poſtulant: quorum juſtiſſima deſideria, pro munere quo fungimini, & autoritate qua excellitis, irrita eſſe nequaquam ſinetis.

Ita vovet ſperatque.

Imper. Majeſtatis veſtræ ſervus humillimus.

JACOBUS MASENIUS.

DEMISSA POSTULATIO
PRO MEDITATÆ CONCORDIÆ PRO-
TECTIONE ET PROMOTIONE ; OBLATA
ROMANI IMPERII PROCERIBUS,
ATQVE IMPRIMIS
EMINENTISSIMO ET CELSISIMO
PRINCIPI AC DOMINO
D. IOANNI
PHILIPPO
S. SEDIS MOGVNTINÆ ARCHIEPISCOPO,
S.R.I. Per Germaniam Archicancellario, Principi
Electori, nec non Epiſcopo Herbipolenſi,
Franconiæ Duci, &c.

E T

SERENISSIMO AC CELSISSIMO
PRINCI AC DOMINO
D. IOANNI
GEORGIO II.
SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM DUCI,
S.R.I. Archimareſcallo & Electori, Landgravio
Thuringiæ, Marchioni Miſniæ ac utriuſ-
que Luſatiæ, &c.

D E N I Q U E
INCLYTIS AC LIBERIS S. ROMANI IMPERII
Urbibus univerſè ac ſingulatim.

DAte veniam audaciæ, ſed piæ ſupplicique, qua ignotus ab ultimis Rheni finibus, hunc libellum, atque inchoatam in illo ex verbo Dei Auguſtanæ Confeſſionis Reformationem, demiſſa veneratione, communis ſalutis gratiâ, veſtris etiam manibus, poſt ſummum Imperatorem, defero. Dabitis, opinor, ex Chriſtianæ charitatis lege, æquitatiſque ac publici boni ſtu-

dio

dio haud gravatè, ubi illas , quæ me ad hoc conſilium verterint, cauſas intellexeritis.

Priſcam Germanorum Concordiam , antiquamque erga homines Deumque fidem, diverſo religionis ſtudio, ſi non ſublatam penitus, certè labefactatam multis eſſe partibus, ſatis, prô dolor , eſt exploratum. Cui inſtaurandæ, atque ad priſtinum decus pacis revocandæ, qui operam ſtudiumque ſuum deferre noluerit , is mihi non modo non Germanum , ſed ne Chriſtianum quidem animum poſſidere videbitur. Certa ac penè unica ad hanc via panditur, quam Catholici non detrectant, Proteſtantes ſuis ex legibus, recuſare non poſſunt, quando ex ſolis divini verbi oraculis manifeſtè deprehendi poteſt , quænam Eccleſiarum ſive Religionum ſit proprior veritati, quæ ab illa divellatur, per errorem privatique ſenſus judicium, longius. His enim, ut par eſt, nudè ſyncereq; expenſis, apparet illa quæ eſt ſupra montem poſita, quæ æterna & indefectibilis eſt Chriſti Eccleſia : hac enim nulla poteſt eſſe propinquior veritati. Illa verò cum manifeſtis adeò divinarum ſcripturam teſtimoniis patefacta, tam in hac, quam priori Concordiæ Meditatæ *parte fuerit ; ut niſi volens obſtinatéque reluctans ignorare non poſſit, abſoluta omnis per divinam ſententiam controverſia eſt : modò ne deſit Principum Magiſtratuſque in provinciis urbibuſque, per imperium, autoritas , quæ apertiſſimæ veritatis definitionem exequatur, occurrat diſſenſioni & erroribus, pacem concordiamque religionis defendat.*

Tales cum vos eſſe intelligam, Electores Maximi, teque inprimis Eminentiſſime Princeps Philippe, *tum ex eo quod geris Archicancellarii imperialis munere ; tum ab eximia, qua polles, rerum gerendarum prudentia, ac magnanimitate; præ reliquis hac in cauſa Tuam Eminentiam compellare auſus ſum, ut in re tanta imperii; quanta eſt univerſalis animorum in una religione ac fide conſpiratio, ex qua non ſolum privata plurimorum, ſed publica etiam totius imperii ſalus libratur , induſtriam omnem conatumq; ne graveris impendere : neque malevolorum hominum retarderis calumniis, ut nuper nihil tale meditantem, Te alioſque Romanæ Eccleſiæ Proceres iniquiſſimis religionem Catholicam pactis ſcindere , atque in aliam transformare imaginem cavillati ſunt. Planè illi ſine ſenſu ac religione homines, qui exiſtimant veræ orthodoxæque fidei formam, tot ætatum judiciis probatam tam leviter refingi debere; aut mutari illud omnino poſſe , quod diviná promiſſione ſtat immutabile,*

bile, & pluſquam adamantina ſoliditate, nec ab ipſis inferni portis ſua à conſtantia poteſt deturbari.

Expende obſecro, quanta illud ratione à Tua Eminentia poſtulem; in Imperii comitiis hæc olim Auguſtana Confeſſio, ut primùm nata fuit, oblata eſt, iterumque jam meliori exculta, ut creditum, pumice eodem rediit. Tolerata ea lege eſt, quâ poſtulavit admitti; ut ſi ex S. Litteris (quod habet Epilogus) magis diſerta fidei ſententia occurreret, hanc deinde nollet excludere. Exhibeo illam, quam profitetur amplecti ſe velle divini verbi ſententiam, qua per Imperium, ex Procerum urbiumque conſenſu admiſſa, pax nobis & concordia eſt. Et cujus hanc rem manibus judicioque ac diligentiæ potius, quam Tuæ deferam, qui inter Eccleſiæ Romanæ proceres in Germania primas obtines, & Comitiorum ab Imperatore es Princeps? Qui etiam, ſi cetera Tua occupationes non ferant fidelem inſtructumque hac in cauſa admininiſtrum habes Epiſcopum VValenburgium Archiepiſcopali in munere ſuffraganeum, cujus moderationi prudentiaque hoc tutò negotium committes.

Rurſum Tua nobis Sereniſſime Elector, Dux Saxonum, Georgi, hac in re, opera patrocinioque inprimis opus eſt, ſub cujus Majoribus ante ſeculum, hæc primum Confeſſio nata, publiciſque Imperii comitiis oblata eſt, & ſub cujus etiamnum protectione, in ſcholarum & templorum cathedris defenſa, perſiſtit. Redeat nunc ad illa orbis Imperiique noſtri comitia, ſub Tua Sereniſſime Princeps tutela, locupletior ex S. Literis illuſtrior à verbi Divini veritate, ſecurior ab errore, certior à fide ac religione. Audiatur pro Germanorum concordia, pro patria incolumitate, pro quiete animorum, pro pace Eccleſiarum diſſidentium, pro ſalute omnium. Vide obſecro quàm æqua noſtra poſtulatio ſit, quàm cum Tuis Tuorum que votis conſentiens, qui aliud ad hujus concordiæ reputationem non poſcimus, quàm ut neglecta multis locis divinæ veritatis oracula recipiantur, quæque mala fide præterita hactenus eſt ſcripturarum ſententia, citra recens exortam ſallibilium hominum interpretationem, audiatur. Nec ceterorum ſpero, in juſtiſſima honeſtiſſimaque cauſa Principum, atque Optimatum Imperii, ſtudia ad communem omnium ſalutem concordiamq; ſunt defutura, ſpreto malignè obteſtantium conatu, quem ſalutis humanæ inimicus per aſſeclas miniſtroſque ſuos, obm overe non deſinet. Oportet enim (ſic Deo etiam connivente) hæreſes eſſe, ut hi qui probati ſunt, manifeſti fiant. Sed piorum, ſuæque ſalutis amantium Procerum erit,

erit, nihil eorum turbari molimine, quando à pretenſe hactenus S. Scripturarum præſidio, adeò manifeſtè excluſos perſpicient, ut jam, niſi ad damnatas ante per ſe interpretationes confugiant, prorſus obmuteſcere neceſſe ſit, vel certè errorem ſuum profiteri.

Vos etiam Romani Imperii, Urbes inclytæ, *vos hac in cauſa appello, & judices, & patronos. Iudicate, an æquum ſit, apertam ſcripturarum ſententiam (quam ſolam nudamque admitti hac in Confeſſionis Reformatione rogamus) aſpernari, vel humana interpretatione ſubvertere? Si hoc æquum eſſe dicitis, fidem æquitatem, Deumque deſeritis: ſi negatis, ut par eſt, Reformationem admittitis. Euge igitur, quando hoc vos facturos, & ſuadet ratio, & Deus imperat, & fides ſaluſque veſtra requirit, hujus pariter cauſa patrocinium, ea cura ſuſcipite, quâ & privata ſimul omnium veſtrum, & publica, præſens & æterna, corporum animorumque incolumitas ac felicitas poſtulat.*

Nulla unquam tanti ponderis momentique cauſa, nulla tam univerſalis omnium, nulla quæ cum tantis tamque ingentibus, vel commodis, vel periculis veſtris conjuncta eſt, oblata vobis unquam fuit, nulla denique (audite quæ dicturus ſim) nulla inquam, quæ tanta veſtra gloria, tantaque facilitate poſſit expediri. Ad propria Confeſſionis vos principium revocamus, ſolam ſcripturam admitti cupimus, verbo, hoc poſcimus, quod ipſimet deſideratis, rejicere non poteſtis, niſi vobiſmet ipſis adverſemini. Apoſtolus ad hanc cauſam, meditatamque concordiam *fovendam hortator omnibus ſufficere poterit;* ſoliciti ſervare unitatem ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis. Unus Dominus, una fides. *Nec dubito, ſufficiet. Si qua enim in vobis germana ſynceritas, ſiquis amor recti, ſiqua ratio veritatis ac fides* ſine qua impoſſibile eſt placere Deo) *ſi qua ſalutis cura, ſi qua æternitatis ponderatio (& quis eſſe, non ſentiat? acquieſcetis tam æquæ poſtulationi noſtræ, tam amica exhortationi Apoſtolicæ, tam manifeſtæ neceſſitati veſtræ, cum tanta utilitate, tanta nominis gloria, & felicitate exequendi conjuncta.*

Porrò ante omnia providendum vobis erit; ut cuique Doctorum veſtrorum in academiis, & procerum ſenatorumque in conciliis integrum ſit, citra ullum, vel opum, vel officii honoriſque ſui periculum, liberè hac in cauſa ſuam pronuntiare ſententiam. Id enim niſi feceritis, viam clauditis veritati, apertumq; ſaluti obſtaculum ponitis. Ardua res eſt cũ veritatis profeſſione de gradu ac dignitate, de

exiſtima

Eph. 4. v. 3.

exiſtimatione, de bonis omnibus patriaque poſſeſſione hominem periclitari. Ethnici Poetæ ſenſus eſt.

- - - Stat nulla diu mortalibus unquam,
Fortuna titubante fides. *Sil. l.* 11.

QVæ ſi tam facilè in adverſis amittatur, quantò acquiretur difficilius? Profectò humanis divinisque juribus planè adverſatur lex illa, quæ veritatem profitenti pœnam imperat, famâ & honore ſpoliat, bonis interdicit. Tanta tamen veſtra improbitas (quod abſit) futura eſſet, ſi quicquam Reformationem ex verbo Dei à me, ſeu Deo potius, omnibus propoſitam, acceptanti objiciatis, quo retardari, vel omninò etiam ab illa ſubmoveri poſſet. Quam impietatem longè ab univerſis Divini Verbi obſervatoribus, tum à vobis multò maximè abſuturam ſpero, qui ſingulari hactenus profeſſione, illius vos dignitatem ſententiamque tueri velle conteſtati eſtis. Quod quam ſyncerè integreque, quanta cum diligentia ſtudioque facturi ſitis, nunc denique toti orbi, in hujus cauſa admiſſione ac patrocinio, manifeſtum fiet.

Ad vos igitur Romani Imperii proceres, Electores, Principes, urbes liberæ, ac Magiſtratus revertor. In prima hujus Meditatæ Concordiæ parte, veſtram fidem autoritatemque imploravi, ad communis hoc ſalutis ſtudium: nunc rurſum vos omnes per viſcera charitatis Chriſti, perque illius pro nobis fuſum ſanguinem, per animam ſalutemque æternam omnium, iterum iterumque obteſtor ne, in re graviſſima, privata publicaque neceſſitati deeſſe, & tam promptam facilemque ad concordiam meditatam reditum, veſtra diſſimulatione intercidere patiamini.

Digitized by Google

AD CONFESSIONIS AUGUSTANÆ INCHOATAM REFORMATIONEM

PRÆMUNITIO I.

Cauſa & ratio inchoatæ Reformationis à Confeſſione Auguſtana, concordiæ promovendæ gratiâ, ab Auctore exponitur.

POterat *Meditatæ* noſtræ *Concordiæ* prima pars ſufficiens videri, ut omnium, qui Verbi Dei ſcripti autoritate nituntur, animos ad conſenſum ſtabilem Religionis, in unius Eccleſiæ, & Sacramentorum communione, ſociaret. Verumtamen, ut manifeſtiùs illa Concordiæ neceſſitas tergiverſantibus hactenus Proteſtantibus, appareat, agam hoc, quod ex propriis ſeſe principiis Religionis ſuæ profitentur agere, & ad claram diſertámque ſacrarum Scripturarum ſententiam, tanquam ex ore ſupremi deciſoris ac Judicis Dei prolatam, Confeſſionem fidei vulgatam, Lutheranorum inprimis Proteſtantium, expendam: neque in ipſa rerum credendarum ſubſtantia, aliis hoc verbis, quàm divinis præſtabo; ut ſi pro fidei regula, atque ultima Judicis Dei ſententia, verbum illius amplecti decreverint, jam obluctari amplius nequeant, ſed jurare in Confeſſionem, ex illo reformatam teneantur. Ego hîc tantùm, quamvis ordine confuſo, ipſos coactos Confeſſioniſtas ſequi, ſuggeſſi, non digeſſi, per ipſum Confeſſionis corpus, S. Scripturæ ſententiam, incepi; non abſolvi reformationem, malui illorum conſcientiæ & ingenuitati (cujus hac in re experientiam Catholicis daturi ſunt) hunc abſolutæ reformationis laborem deferre. Ea tamen lege ac proteſtatione, quòd nolim ullum S.

Scripturæ pronuntiatum, quod hunc in finem attuli, aut temerè repudiari, aut in alienum, quàm propria, vel uſitata paſſim ferat uſurpatio, ſenſum detorqueri, niſi is per infallibilem ex verbo Dei conſequentiam ita inferatur, ut tota aſſentiendi ratio divina maneat autoritas. Nam quidquid humana ratione atque autoritate nititur, ad fidem divinam non pertinet. Quare aliud hîc nullum, quàm miniſtri Evangelici ſupplicis orantiſque, ne errare in fide, atque extra divinæ legis agnitionem perire velint, officium ſubeo. Quòd ſi qua in re aberrem ego, meique, quibuſcum loquor, Catholici; humanitatis & charitatis mutuæ erit, tantoperè à Chriſto commendatæ, ut per magis diſertam confertamque Scripturam nos erudiant. Et ſi hæc illos deficiat, qui hanc primò Eccleſiæ univerſalis reformationem aggreſſi ſunt, in antiquis nobiſcum S. Scripturæ, & inconcuſſæ veritatis terminis ſubſiſtant. Quòd ſi nolint, non ſolùm alieno, ſed & proprio coram Deo conſcientiæ teſtimonio erunt condemnati.

Nunc igitur aperiam viam moderationémque, qua acturus ſum cum Auguſtanæ Confeſſionis hominibus, quorum, errorem, cùm dolens videam (ut mihi ex S. Scriptura, quam deferunt, certum eſt) ſalutem adeò ex intimis animi mei ſenſibus deſidero, ut vel ultimam ſanguinis vitalis guttam pro illa non invitus profuderò.

1. Cùm Auguſtana Confeſſio nec ſemel, nec iiſdem verbis, eâdemque ubique rerum credendarum ſententiâ prodierit; ut ante annos complures P. Balthaſar Hagerus Theologus Herbip. Societ. noſtræ oſtendit in collatione prototypi, quod anno Chriſti 1530. in Comitiis Imperialibus Auguſtæ Vindelicorum, 25 Junii die, Carolo Cæſari oblatum, atque ex Lutheri ſcriptis & mente, à Philippo Melanchtone eſt concinnatum, & alterius, multis locis variatæ Confeſſionis, quæ anno 1540. prodiit. Quarum utramque & inter ſe, & cum œcumenico Tridentino Concilio, non ſine S. Scripturæ ponderatione expono. Quare cùm aliis aliiſque ejuſdem nominis Confeſſio editionibus, non eandem ſemper formam induerit, mihi tamen illis potiſſimùm verbis ſententiæque inſiſtere viſum eſt, quæ anno 1540. Wittebergæ excuſa eſt. Quòd illam in corpore confeſsionum fidei, quæ per Europam celebrantur, earundem collectoribus, pacis & concordiæ ſperatæ ſtudio, cum delectu placuiſſe videam. Illam ex

hoc

hoc exemplari per ſingulos hic articulos exhibeo. Ut Confeſſioniſtarum ſententia communior omnibus conſtet. Qui Prototypon & Tridentinam Confeſſionem noſtram inter ſe compoſita oppoſitaque videre deſiderat, P. Hagerum, quem dixi, in ſua *Collatione* conſulat, huic etiam concordiæ promovendæ opportunum.

2. Cùm obſervarem in hac Auguſtana confeſſione graviſſimo divini verbi neglectu, ne dicam injuriâ, plurima ſacræ Scripturæ loca diſſimulari ac præteriri, quibus in medium adductis collatiſque cum iis, quæ citantur locis, aliam omninò ſententiam confici neceſſe eſſet: hæc ego à Confeſſioniſtis, ſive ignorantiâ, ſive malignitate quâdam, ob libertatis uſurpatæ defenſionem, prætcrita, hoc potiſſimum tempore producenda exiſtimavi, quo ſenſim majori veritatis ac ſalutis ſtudio, quorundam animos conſcientiaſque tangi compertum eſt. Qui licet dulce libertatis, & conſolationis (quam identidem Confeſſio ſuggerit) nomen ſenſuſque arctiſſimè ſtringat, ruptis tamen vinculis, ſpretí que tamen illecebris, quibus & Europæorum concordia, & ſalutis æternæ ſpes peſſumdatur, ad tantam, quam ex S. Literis propono ſententiarum lucem, ſpero evigilabunt: ut qui in uno S. Scripturarum loco amplectuntur, in aliis pari reverentia admittant. Cùm abſurdius nihil videri poſſit quàm ita verbum Dei venerari, ut quod ex illo meis ſubſervit affectionibus, magna aviditate arripiam; quod averſatur, hoc vel negligam, vel maligna interpretatione ad propriam quoque animi ſententiam, cupiditatemque, nullâ Dei revelatione fretus inflectam. Quod ſi Dei verbum ultima debet eſſe norma rerum credendarum, certa illa ac definita, non meo ingenio, ſed ſuapte natura ac determinatione eſſe debet. Si pro ſententia illa Judicis ſupremi ſit admittenda: nihil debet in hac ſententia ambiguum indefinitumque reperiri. Si hæc velut tabula eſt teſtamentaria, non pars ex illa rejicienda, pars acceptanda eſt; ſed omnibus juxta vocibus pronunciatiſque par debet eſſe vis & autoritas. Unde manifeſtum eſt, neminem Proteſtantium, niſi iniquæ palam cauſæ defenſor, & eſſe, & audiri velit, ſacrarum ſcripturarum à me prolata ſuis locis teſtimonia poſſe, aut debere excludere.

3. Inchoatam tantùm volui Reformationem dare, & velut materiam ſolam illi rectè conficiendæ, per ſcripturam S.

& obſervationes adjunctas ſuggerere: tum ut ipſiſmet Proteſtantibus hunc laborem honorémque rectè abs ſe inſtitutæ confeſſionis, & cum verbo Dei universè, tum orthodoxa catholicaque Eccleſia conformatæ, deferrem; tum ut iidem mutua ante Eccleſiarum atque Academiarum plurium conſultatione apud ſe expenderent. Poſſintne illa ſua Confeſſione, qua tot mortalium millia imbuunt, coram Deo & mundo universo Religionem ſuam in articulis omnibus ad ſalutem neceſſariis, velut æquam certámque tueri? Nam ſi vel in uno ſubſtantiali fidei titulo devient, toto cælo aberrabunt. Hunc verò errorem ſuum, qui in hac inchoata tantùm Reformatione, Sole meridiano elucet clariùs, poſtquam deprehenderint, ſéque non in omnibus hactenus conformiter Dei verbo credidiſſe, agnoverint, facilis hæc omnino futura eſt Reformatio, & in communi animorum, Eccleſiarumque conſociatione finienda.

4. Cùm multa ſint in hac Confeſſione, quæ hiſtorica etiam narratione fallant, illamque exponat eſſe doctrinam Catholicorum (quamvis diſſimulato ferè nomine,) quæ planè, neque universè recepta fuit, neque etiamnum eſt. Quòd ex nulla Tridentini, aut alterius œcumenici Concilii ſententia produci queat: adeóque toti orbi hoc pacto illudatur, dum Romani finguntur monſtra quædam articulorum fidei procudere, quæ nec per ſomnium ab iis formata ſunt. Præterea cùm ſæpiùs, vel ſine Scriptura S. vel contra illam loquantur Confeſſioniſtæ; qui tamen ex ſolo Dei verbo, ejuſque veneratione hanc ſe Religionis reformationem moliri, neque quicquam extra illud audire ſe velle, profitentur. Ad hoſce errores, locis tantùm illis, quibus graviùs offendunt, nova reformationis ſpongia obliterandos, adjeci obſervationes, cætera ad expoſitionem S. Scripturæ, quàm obvio ubique ſenſu acceptare æquum erit, ſi pro regula nobis eſſe debet, minimè neceſſarias. Quanquam ubi perverſa interpretatione illam, ſine definitione, ultimáque diſertæ Scripturæ ſententia detorquere aggreſſi ſunt, obiter nobis fuerint Confeſſioniſtæ admonendi: uti etiam cùm Patres ſine loci adductione, ut faciliùs lateant, depravatè citant. Hæc enim parum integræ cauſæ mentiſque in hac Confeſſione ſunt argumenta; ſed præcipua Majorum hæc delicta ſunt: inculpatos, niſi pergant ſuffragari, hac in re poſteros, ad æquam facti dijudica-

dijudicationem, ſine partium affectu provocamus. Ita, coram Deo cauſam hanc ponderent, tanquam alienæ litis arbitri; ita definiant, velut ma è deciſæ controverſiæ cladem ubituri. Non agitur de tranſituræ poſſeſſionibus Eccleſiæ; ſed æternæ vitæ ac felicitatis hæreditas in hujus cauſæ ponderatione verſatur. *Vtinam intelligerent homines, ac noviſſima providerent!*

5. Alia parum idoneè ad veteris orthodoxæ Eccleſiæ, Conciliorum, ac Patrum (quos rejicere nequeunt,) ſenſum pronunciata, contradictionéſque cum Lutheri, autoris ſuæ reformationis, doctrina ac ſcriptis nolui expendere; ne hoc ſæculo, tot controverſiarum Religionis jam pertæſo, & ad ejuſmodi heterologias occaleſcente, cramben alias coctam rurſum videar apponere, & brevitatis, quod ubique prenſo, ſtudium deſeram. Quare quidquid tolerabilem S. Scripturæ, & orthodoxæ Eccleſiæ ſenſum in hac Confeſſione admittere viſum eſt, hoc ad cenſuram vocare nolui. Dono, quidquid donari poteſt, non tolerandis affigo obelum, & ſtrictim in obſervationibus notam relinquo, ſatiſque quandoque eſt ſignaſſe, non ex æquo diſcuſſiſſe. Ubi rem contradicentibus aliis hærere compertum fuerit, juſta à me, aut aliis, cælo adſpirante, animadverſio non eſt defutura. Malumus remiſſiores in amica hac caſtigatione, quàm nimii exactores videri. Ultrò veritatis ſalutiſque cauſa accedent, qui ſuo ſe diſcrimine ſenſerint in non paucis deflexiſſe. Interea hoc Proteſtantibus conſiderandum relinquo: quid de illa Confeſſione cenſendum ſit, quæ tam diſſimilis univerſali doctrinæ autoris ſui, ut vel illa, vel iſte in ſubſtantialibus fidei articulis, ſicuti diſſenſionis manifeſtæ comperta eſt, ita aberrationis à veritate & ſalute ſit condemnanda, niſi hoc fallat, *quòd impoſſibile ſit ſine fide placere Deo*. Expendite, an alio ſpiritu reformata Lutheri doctrina in Eccleſiam inferri, & Confeſſio veſtra abſolvi potuerit? An tales olim Doctores Apoſtoli, qui quod hodie profitebantur, cras obliterarent? Nolo hîc nimius eſſe, vobis ipſis diſcutiendum relinquo.

PRÆMUNITIO II.

Extrema neceſſitas hujus Reformationis ab Auguſtanæ Confeſſionis aſſertoribus admittenda.

SUmma hujus Reformationis ſuſcipiendæ neceſsitas Confeſsionis hujus aſſertoribus incumbit.

Primò enim hoc toto orbe, ac tot penè, quot vulgarunt de fide ſcriptis polemicis millies ac ſæpiùs profitentur, ſe ex verbo Dei ſcripto Reformationem Eccleſiæ aggreſſos eſſe, in eoque velle perſiſtere, nihil recuſare, quod ex illo aſſeritur, amplecti & admittere in claro obvióque ſenſu omnia, quæ ad fidem inde ſalutémque eruuntur. Euge, quod profitentur, hoc præſtent, & propoſitas à nobis claro in ſenſu ſententiáque Scripturas, quemadmodum, & vetus, & moderna facit Romanorum Eccleſia, accipiant, & pax concordiáque nobiſcum futura eſt. Aliud in præſenti tractatu, neque ſpectamus, neque poſtulamus, quàm ut productas per ſingulos articulos in §. 2. ſcripturas, ſuæ, citra ullam interpretationem, aut fallibiles diſcurſus conſequentiáſque, ea quæ proponimus nuditate ſententiæ, inſerant, ut non homo, ſed Deus nobis tantum in illis loquatur. Quare neque obſervationibus noſtris, quas §. 3. adjecimus, locum in confeſsione depoſcimus. Ex his ſolùm, quæ in confeſsione extra Scripturas S. falsò ſæpè ac contradictoriè inſerta eſſe obiter ac perfunctoriè tantùm ſignavimus, obſervanda, atque eliminanda jure requirimus, ne tam malè hærentia ac fundata illic audiantur, ubi rerum credendarum articuli, divinis tantùm Scripturæ verbis, promendi, juxta reformationis leges, eſſent. Quocirca hoc dilemmate argumentum totum complector: vel poſſunt Lutherani ſolis S. Scripturæ verbis exhibere ſuæ religionis articulos: vel non poſſunt niſi admiſſa ſimul interpretatione, aut ratiocinatione humana, & verbis hominum. Si illud poſſunt, hoc eſt, quod purè atque incorruptè exigimus, noſtróque hoc opere perficimus. Si non poſſunt: ergo fateri debent, non ſolis verbis, ſententiáque, divina ſe hanc reformationem aggredi, tenentúrque præferre reformationem hanc, prout illam ex ſolis S. Scripturæ verbis proponimus. Quocunque igitur ſe vertant, niſi hanc noſtram reformationem admiſerint, manifeſti ſe erroris ac hæreſeos reos faciunt.

Rurſum, niſi hanc reformationem amplectantur, non tantùm ſuam produnt hæreſin, ſed ne quidem rationis ſeſe humanæ ſatis eſſe compotes, aut ſanæ mentis declarant. Ut qui propriæ obliti profeſsionis, modò negent ac reſpuant, quod hactenus, tanquam fundamentum ſuæ fidei conſtanter ruiti ſunt: videlicet Scripturam S. tanquam normam & judicem controverſiarum, velut ex ore Dei prolatâ ſententiâ, ſolam audiendam eſſe. Hoc igitur ſi nunc detrectare incipiant, manifeſtam læſæ mentis produnt vertiginem, idemque quod volunt, abnuunt, diffitentur, quod profeſsi ſunt. Cùm verò hanc tantam ab illis amentiam procul abfuturam credam, admittent neceſſariò hanc reformationem.

Tertiò. Nolent profectò Lutherani pro falſariis & calumniatoribus iniquis traduci impoſterum, ſi Confeſsionem Auguſtanam, ſine admiſſa reformatione tuerantur. Nam teſtimonia manifeſtè falſa & fictas de Catholicorum fide calumnias hæc Confeſsio complectitur, ut in decurſu illius, & obſervationibus noſtris, citra ullum effugium, veritatiſque colorem, patebit. Ita e. g. art. 11. hæc nobis imputant: *Contendunt remiſſionem peccatorum contingere propter dignitatem contritionis, dilectionis, aut aliorum operum, & jubent dubitare conſcientias in pœnitentia, an conſequantur remiſſionem. Canonicas ſatisfactiones docent neceſſarias eſſe ad redimendas pœnas æternas.* Et hæc conſultò in Catholicos vibrata eſſe ſpicula, magis etiam patet de abuſibus, §. *de Confeſſione.* Quæ falsò & calumnioſè in nos confingi tum ex Tridentino, tum ex fundamentis doctrinæ noſtræ infra patebit, notumque eſt omnibus, quotquot noſtræ fidei articulos aſſequuntur. Rurſum art. 13. nos docere, *in uſu ſacramentorum non requiri fidem, quæ credat propter Chriſtum nobis gratiam dari, ſed fingere homines juſtos propter uſum Sacramentorum ex opere operato, & quidem ſine bono motu utentium.* Sic art. 20. *Abolent veros cultus: nam invocatio, & cetera ſpiritualia excutiuntur animis, non confirmatis fiducia Chriſti. Obſcurant opera à Deo mandata, & longè anteferunt humanas traditiones.* Ita & de abuſ. art. 7. *Magnam*, ait, *contendunt Eccleſiæ poteſtatem eſſe, quod diſpenſaverit de præcepto Decalogi*, videlicet ſabbato in Dominicum mutato. Et infra, *imperant cœlibatum, nullos recipiunt, niſi jurent ſe puram Evangelii doctrinam nolle docere.* Horum ac ſimilium nonnulla, per illatas fortaſſe ex doctrina fidei noſtræ conſequentias ſtabilire volunt; ſed quas

quas nos ut frivolas ac nugatorias aſpernamur, e. g. Qui docet neminem eſſe fide divinâ certum, quòd remiſſa ſibi peccata ſint, is jubet dubitare. Sed Catholici illud docent. Ergo & hoc &c. Rurſum, qui jurare ſuos volunt in verba Eccleſiæ, ejuſque traditiones, hi cogunt jurare, quòd nolint puram Evangelii doctrinam docere &c. Verùm, ut dixi, nugæ hæ ſunt, & illationes tantùm frivolæ, quas ridemus, non admittimus. Nam multa tenemus morali certitudine, experientia, aut ratione, uti de ſe quiſque etiam, quòd Deo credat, & peccata ſibi remiſſa ſint, (de quo ſinguli hominum non habent revelationem, ut Abraham, David, & Magdalena habuit) & tamen, cum tali certitudine, experientia, aut firma ratione rem ſumus aſſecuti, dubitare iccircò non ſolemus, quòd eadem, fide divinâ, non aſſequamur. Rurſum cùm intramus in verba Eccleſiæ, & traditiones, non obnuntiamus puræ Scripturæ, ſed eandem audimus præcipientem: *State, & tenete traditiones, ſive per epiſtolam, ſive per ſermonem.* 2 Theſ. 2. *Et ſi quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus.* Matt. 18. &c. Falſa igitur illatio eſt. Deinde, faciamus ſubſiſtere quaſdam adverſantium conſequentias, perversè tamen illas pro theſi ac doctrina noſtra ſupponent, cùm tantum abſit, ut propoſitiones ejuſmodi aſſeramus, ut negemus etiam, ideoque falsò illæ, ut theſes & aſſertiones noſtræ uſurpentur; hæ enim non poſſunt eſſe, niſi ultrò profitentium. Denique reperiatur etiam (ut in multitudine ſcribentium & nova quæque conſectantium fieri amat) nonnemo exoticus, qui ſimile quippiam effuderit, an iccirco ingenui eſt animi hanc Catholicæ Eccleſiæ, ceu univerſalem doctrinam, mendaciter imponere? Verùm quid de ambiguis conſequentiis diſceptamus, quando apertiſſima illa figmenta Confeſſioniſtarum ſunt, quòd *doceamus ſatisfactiones eſſe neceſſarias, ad redimendas pœnas æternas: In uſu Sacramentorum, non requiri fidem, aut motum pium; abolere nos invocationem, & ſpiritualia exercitia, præferre mandatis Dei traditiones humanas &c.* Quæ univerſa tam manifeſtam falſitatem continent, ut nulla excuſatione elui, nullo velo obtegi poſſint, ſed compertiſſimæ fictionis rea & damnata confeſsio, in oculis ac manibus omnium deprehendatur, ideoque illius aſſertores, niſi reformationem admiſerint, ejuſdem ſemetipſos ſceleris condemnent. Noſtræ profeſsio fidei, quæ in Tridentino diſertè

extat,

extat, nullam ejuſmodi propoſitionum continet, imò pugnantibus cum hac doctrina ſententiis nota eſt. Ut mirum ſit, quâ mente ac fronte, in totius orbis conſpectu, inveniri homo poſſit, qui illa tanquam fidei noſtræ capita proponat, quæ planè damnamus & execramur, & ſi fortaſsè aliqua imprudenti cuipiam ſcriptori excidiſſent verba non diſſimilia, prudentis tamen ingenuique hominis eſſet, mentem ſcriptoris potiùs, quàm verba inconſultiùs fuſa inſectari.

Quocirca ipſis Confeſſioniſtis expendendum relinquo, ut definiant, quo conſilio, hæc doctrinæ tam fœdè aberrantis, & nobis deteſtatæ crimina adverſum nos confinxerint, qualem exiſtiment illam fuiſſe, atque etiamnum eſſe reformationis à ſe prætenſæ cauſam, quæ fictos ejuſmodi errores producit, ne accuſationis deſit argumentum, & defectionis à Catholica Eccleſia titulus? Hæc ſi ex æquo ponderentur, intelligent, quanta ſibi reformandi hanc confeſſionem incumbat neceſſitas. Non poſſunt tam probroſa jam ampliùs occultari, velum hujus fraudis excuſſum eſt, in meridiana luce proſtat: quando non modò hæ propoſitiones non queunt produci, ſed conſtet nos eaſdem publica etiam profeſſione execrari. Quod ſolùm ad eaſdem abolendas, ſi quondam fuiſſent traditæ, poſſet apud æquos Judices ſufficere.

Quartò, contradictiones hujus confeſſionis multæ gravéſque, quibus & ipſa ſecum, & cum Scriptura ſacra pugnat, ut ex diſcurſu Reformationis, atque obſervationum noſtratum patebit, neceſsitatem acceptandæ hujus doctrinæ graviſsimam imponunt, ſi quis amor veritatis ſalutiſque apud Confeſsioniſtas ſuperſit. Niſi enim apertis cæcutire oculis, & perire in deſperata cauſa malint, quàm ab errore recedere (quod mihi perſuadere non poſſum) audiendus in ſacra Scriptura Deus eſt, & reformatio acceptanda, quæ fallere non poteſt, cùm ex ore primæ Veritatis minimè dubiâ ſententiâ loquatur. Si detrectant, perverſam mundo voluntatem produnt, & ſuomet quoad Scripturas provocant damnati judicio, ad gravius Dei judicium reſervantur. Quod cùm omnino exſpectandum à viris ingenuis ac prudentibus non ſit, Reformationem hanc non poterunt aſpernari.

Quintò, niſi hanc Reformationem, iis, quæ proponuntur, Scripturæ verbis acceptent, hactenus dolosè ac perversè ab illis actum eſſe conſtabit; dolosè, quod omnem ſe honorem, ac re-

ac reverentiam S. Literis deferre, non niſi ſimulatè jactarint, cùm præcipuam illarum partem deſpiciant, & conculcent: perversè, quod mutilam ex parte Scripturam, quantum ſuæ faveret cupiditati, noxiæque libertati, amplexi ſint; partem alteram, quæ illi adverſaretur, tanquam Deo indignam, cum integris quandoque ſacræ Scripturæ libris abolere conati, vel torta iniquaque ſententiæ interpretatione elidere, cetera negligere paſſim in ſuæ Confeſſionis articulis, comperti ſint. Ut hæc planè neceſſaria Reformatio admittenda ſit: niſi fraudis perverſitatiſque deinde condemnati voluerint. Quod cùm pro Lutheranorum plerorumque, qui hujus ævi ſunt ingenuitate, prorſus exſpectandum non ſit, ſpem concipio fore, ut Reformationem tam æquam, ſuæque profeſsioni conformem, honori veritatique tuendæ neceſſariam, ultrò lubentéſque amplectantur.

PRÆMUNITIO III.

Difficultates obiter ſubmotæ, quæ huic poſſunt Reformationi ſe objicere.

NUnc de modo & ratione ſincera minúſque difficili hanc Reformationem perficiendi videndum eſt. Nam perquàm arduum aſperumque hoc ſeſe negotium principio cogitantibus objicit. Ut enim Lutherani, poſt cauſam ſuam tot annorum decurſu propugnatam, ſeſe nunc demum erroris convictos fateantur, & ad paucarum Scripturarum teſtimonia, tot reſponſionibus enervata, repentè dedant? Natura planè & ratio hîc obſtat. Siquidem

Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Quamdiu doctorum apud illos flos virorum, & exercitata in hoc controverſiarum ſtudio ingenia, quæ animum calamumque ad defenſionem poſſunt acuere, id omninò ſperandum non eſt. Multa enim hîc patent effugia; quædam Scripturæ negantur authenticæ, quædam plenâ integrâque ſententiâ citatæ, quædam benè ex originali textu tranſlatæ, quædam Catholicorum opinionem, eo quem ſpectant ſenſu, continere, quædam per alia Scripturæ loca docentur expli-

explicandæ. Ita facilè tota vis Catholici argumenti eluditur.

Deinde, quamvis ſeſe in ſolutione difficultas objiciat, diſsimulatione tamen ac præteritione, aut certè paris cujuſpiam nodi inventione, qui ſolvendus objiciatur; & ſi nihil horum ſuccedat, negando ea ad fidem pertinere, quæ in dubium abſtrahuntur, omnis neceſsitas aſſentiendi & Reformationem admittendi facilè declinabitur.

Acuet ad hæc ingenium, calamó'que mulierum & liberorum amor, quæ Eccleſiaſticis in Catholica profeſsione, cum hoc munere non concedentur; accendet occupatorum bonorum poſſeſsio, quæ foret deſerenda; animabunt ſuos Doctores Academiæ, in Catholicorum manus transferendæ: obſtabit multorum hominum ad quævis alia, quàm controverſias in ſcholis tractandas, & de cathedris, Prædicantium more docendi, inhabilitas. Et quis illis, liberiſque atque uxoribus illorum, de opportuna victus, vitæque ratione proſpiciet? Jam & Principum illorum ſtatus, qui tot bonorum Eccleſiaſticorum mutatâ fide, poſſeſſores facti ſunt, nulla ratione hanc Reformationem videtur poſſe admittere. Uti enim his univerſis ad Pontificis arbitrium abeant, hoc, ſi qua propugnandi ſpes ſit, nunquam facturi ſunt. His igitur, quamdiu à ſuæ religionis Doctoribus audient, Verbum Dei, in defenſionem fidei jactati, invenientque, qui integris libris retorqueant Catholicorum dogmata, ſibi ſemper, utcunque res geſta eſt, plaudentes de victoria, his vocibus animati, compoſita utcunque conſcientia, ſtabunt in poſſeſsionibus à ſe occupatis.

Accedit graviſsimum ad hanc Religionem irritamentum, conceſſa vitæ licentia, & ultrò delata ac perſuaſa libertas. Quando enim hæc per ſolam fidem fiduciámque in Chriſti juſtitia, remitti peccata omnia, juſtificatique hominem aſſerit, negatque opera noſtra, utporè immunditiis plena, quicquam huc conferre, planè faciIlimam vitæ rationem ſuadet. Quid enim faciliùs, quàm in tali fide collocare univerſa? nullâ operum ut juſtificeris curâ tangi; imò hæc neceſſariò tanquam inquinamenta æſtimare? Et ſive latro, ſive adulter, ſive leviter tantùm mendax fueris, & ſive millies, ſive ſemel in his deliqueris, nulla confeſsione ſingularis delicti & confuſione tui indigere apud homines; ſed unâ in Chriſtum

ſtum fide expiare omnia? non adſtringi tot jejuniis, feſtorumque obſervationibus: non teneri tam longis intereſſe ſacrificiis, proceſsionibus, aliiſque pietatis exercitationibus apud Catholicos uſitatis: non timere purgatorii pœnas, non dæmonem, non infernum, modò tantùm credas in Chriſto remiſſa tibi eſſe delicta omnia, & ſi nihil boni ad juſtitiam feceris, ſolâ tamen Chriſti obvelatum juſtitiâ in Dei oculis putum te innocentémque apparere. Nullâ profectò antiquitas, nec gentilitas, nec Turciſmus, tam blandam hactenus, adeoque conſolationis plenam (ut cum Confeſsioniſtis loquar,) religionem invenit; ut pro hujus defenſione magis, quàm pro aris & focis Romani olim fecerunt, nunc Lutheranis pugnandum videatur; ideoque exigua admodum hujus Reformationis acceptandæ ſpes affulgeat.

Non diffiteor hæc ejuſmodi planè eſſe, quæ ingentem huic rei difficultatem, neque humanis viribus ſuperabilem afferant. *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Gen. 8. Cui ſi iſtæ blandiſsimæ religionis accedant illecebræ, ſi tot vitæ commoda, & ſcelerum, ſola fide expiandorum lenocinia, deſperare cogor de receſſu, priuſquam hanc cauſam aggrediar: niſi altioris à cælo affulgentis ſubſidii ſpe, in hanc arenam, atque hoc certamen deſcendam. Scio, hinc Deum *nihil eorum odiſſe quæ fecit*, & Chriſtum tanquam *Paſtorem bonum* circumire, & *quærere ovem quæ perierat*, nec *velle mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur, & vivat*: inde novi, plures eſſe Lutheranorum, qui curam ſalutis, ubi de ea certiùs inſtructi fuerint, omni vitæ commodo ac libertati prælaturi ſint, non immemores Chriſti admonentis, quòd *anguſta porta ſit, & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci inveniant eam.* Matth. 7. quâ ſententiâ jure retteri poſſunt illi libertatis in religione ſectatores, quòd via & diſciplina Chriſti, ſit via ſpinoſa, & diſciplina crucis.

Cum duplici proinde hominum genere mihi rem eſſe intelligo: alio per ſolam ignorantiam; alio per malitiam quoque devio, quæ cæcitatem quandam cum pertinacia reſiſtendi complectitur. De illis facilem mihi hoc meo ſcripto victoriam polliceor, qui cùm errare ſe ſenſerint, gaudebunt ſuo ſe bono vinci: horum, etſi pertinaciam non fregero, dedecus tamen ignominiamque probis prudentibuſque hujus cauſæ arbitris revelabo. Honeſtum nunquam reperient exitum, neque aliter, niſi

niſi cùm majori confuſione ſua, poterunt obluctari. *Cadent coram Deo,* & hominibus, ſi non ſuo bono, ſaltem aliorum exemplo, *in opprobrium ſempiternum. Multi enim ſunt vocati, pauci electi.* Matth. 22.

Levicula illa ſunt ad defenſionem erroris, vel effugia ad declinandum, vel retia ad captivandum, quæ in ſacrarum literarum perverſa tractatione adhibentur. Præcipuam in hac cauſa prævaricandi vim & illis ego, & ipſi ſibimet præſciderunt. Ad normam & judicem ſolam Scripturam provocarunt: admiſimus conditionem. Hujus igitur ſolius, ut ſententia ita interpretatio, ſeu expoſitio ultima eſſe debet: neque verba cujuſquam hominis immiſcenda. Jacet iſte locorum per loca ſubdolè exponendi conatus, per quem poſſibilis tantùm ſenſus adſtruitur, neceſſarius non aſſeritur. Jacet fallax ſyllogizandi ratio, quâ ad quævis privati ſenſus deliramenta hactenus abuſi ſunt. Ubi enim de intellectu verborum eſt concertatio, niſi Scriptura judex ultimam ſententiam diſerte pronuntiet, nihil erit ex æquo definitum.

Si authenticas quaſdam Scripturas negent, quibus obſecro contra Eccleſiam hoc faciunt, autoribus? An fortè ſuorum probant librorum αὐθεντίαν ex fonte alio, quàm nos probamus, hoc eſt, ſenſu communis Eccleſiæ? nam ſi quibuſdam Patribus & Conciliis hac in cauſa fidendum ſit, præ cæteris, edant argumentum, quo doceant, ſe falli in delectu non poſſe. Quanquam nos hac in parte minimum laboremus; ut qui ex Scripturis communiter admiſſis ſat firmam tueamur veritatem, reliquas confirmationis tantùm gratiâ junxerimus, ideoque his etiam ſublatis, cauſa nequeat vacillare.

Si ad fontes lubeat recurrere, non detrectabimus. Verùm tamen quæſiti ſubterfugii, & diffidentiæ ſua in cauſa ſe reddent ſuſpectos. Nam ſi ad Hebræa, ſine punctis primùm edita, ſe conferent, aut etiam ad Græca ſenſu fœcundiora, oſtendent ex varietate lectionum ſe captare effugium, & perfidis ſe plus Hebræis, Græciſque, multa olim hæreſi infectis, (quibus pronum erat, ſuam his ſcabiem affricare) quàm latinæ, magis tunc integræ, Eccleſiæ fidei, cui tamen potiſſimam in tradendis Scripturis ipſimet adverſarii, dum ab illa acceptant, authoritatem tribuunt. Verùm & hic nodus ſic facillimè ſecabitur. Quæram enim, agnoſcántne aliquam

quam

quam hactenus ſcripturam, à Luthero, vel ſuis editam, quæ neceſſarias ad ſalutem ſententias, vera atque incorrupta interpretatione reddat. Si negent, admittere cogentur, nondum hactenus neceſſaria ad ſalutem populo ſatis ex bibliis S. fuiſſe propoſita, ideoque hunc perverſo ſenſu in errores abductum. Si aſſerant: jam, præter originarium, textum quoque admittent alium, ad quem tutò liceat recurrere, atque ita ex his latebris textum protrahentur, quas tum plerumque quærunt, cùm vulgò cauſæ malæ fundatæ arbitrium conantur ſubducere, & tenebras ſubeunt, ut errores obvelentur. Ego optimæ cauſæ fiducia, in notis ſubſiſtere bibliis malui, orbemque univerſum ad hujus controverſiæ arbitrium venire deſidero, non quidem rejecturus originaria ſcripta, ſed Latinis plus honoris fideique habiturus. Quanquam & nihil hoc loco ſit, quod magnopere hanc cauſam retardare poſſit: cùm nullibi originarius ita textus diſſideat, ut ſententiæ noſtræ adverſetur, cauſæque firmamentum ſubvertat.

Quod ſi fortè negent omnes articulos, qui de fide inter Catholicos cenſentur integrè diſerteque in ſcripturis productis contineri. Ipſa ſatis ſcriptura hanc objectionem refellet, quando *traditum* in Chriſti Eccleſia *Dei verbum* relictum eſſe adeò manifeſtis verbis teſtatur, ut citius adverſarii ſolem de cœlo, quàm chariſſimum hoc teſtimonium è S. bibliis ſublaturi ſint. Animadvertant tamen hic Confeſſioniſtæ, quâ cauſæ noſtræ fiduciâ nitamur; qui aliud nihil, quàm Scripturæ verba ad Confeſſionis hujus Reformationem proponimus. Hanc ſolam obvio, quo proponimus in ſenſu admittant, & ſi quid deinde ad veram fidem deeſſe ſentiant, hoc admiſſis tam æquis poſtulatis, à nobis requiratur. Promittimus omnem procul difficultatem abfuturam.

Jam neque defuturi nobis ſumus, quamdiu Eccleſia Doctores, Paſtoreſque dabit, ſi quis diſſimulatione, fraudibus, illiſque, quæ ex ſatanæ ſchola & diſciplinâ ad religionis pacem turbandam proficiſcuntur inſtructus artibus, in hanc cauſam actor ſeſe ſcriptorve immerſerit. Quales ex illa hominum claſſe non deerunt, quibus propoſitum eſt cum pertinacia ſuæ religionis libertatem tueri, (nam ab orthodoxæ veritatis aſſertoribus, nihil præter cauſæ hujus patrocinium exſpectandum eſt.) Sed his puto depingendis colores nobis idonei

idonei ſupperent, ut ex habitu dignoſcantur, lupi an oves ſint, qui in Chriſti ovile penetrarint. Etiam teterrimis Dæmonum colores reperimus, quibus adumbrentur. Hæc tamen bonis æquiſque inprimis Principibus, qui cauſæ hujus integritatem primo ſatis intuitu capere poterunt, moram revertendi ad orthodoxam Eccleſiam vix poterunt injicere. Nam ſi Dæmon Chriſtum ipſum ſua niſus eſt diſputatione, ex S. etiam literis, præcipitem agere; qui ni homines iſti, Dæmonis aſſeclæ, ſimiles ſibi homines ad præcipitium conentur adigere. Quamdiu mendax futurus homo eſt, tamdiu non deerit veritatis oppugnator. Hinc igitur rationabile nemo poteſt malæ cauſæ, quærere patrocinium.

Venio nunc ad difficillimum meditatæ concordiæ ſcopulum, ad quem plerique fidei deſertores naufragium patiuntur, hoc eſt mulieres & opes, ac denique libertatem vitæ. Hic fateor ſuccumbendum eſt, niſi cœleſti de cœlo lumine, tanquam cynoſura in nocte, fluctuans Eccleſiæ navis dirigatur. Hic mearum non eſt virium perſuadere, vel Eccleſiaſticis, vel Principibus viris orthodoxæ religionis illam, quam cernimus, ſeveritatem, niſi Deus illuminet, ſuaque animet gratia, *anguſtam portam, quæ ducit ad vitam,* ſubeuntes Chriſtus, licet inter mortales innocens, inter immortales Deus, ſuo hanc viam vitamque exemplo complexus eſt, ſuis verbis teſtatus eſt, *qui non tollit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Tantus actor & orator in hac cauſa, ſi perſuadere non potuit, ego quid ſuadeam? Si Apoſtolus non auditur, dum clamat: *momentaneum & leve tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, me ſimilia in arctiori religionis noſtræ ſemita repetentem, quis audiet? Aperi igitur, ô Domine, oculos eorum, ut videant & intelligant, quia non eſt niſi una fides, & una Eccleſia, *ſine quâ*, & extra quam, *impoſſibile eſt placere Deo.* *Qui* enim *non credit, jam judicatus eſt.* Non diſceptamus de brevicula tantum carnis voluptate, opum augmento, libertatis fructu, ac blanda in uſu religionis iſtius conſolatione: temporaria hæc & fluxa ſunt; de æterna voluptate, opibus, libertate, conſolatione contendimus, hanc an illam acceptare conveniat? Eligant Confeſſioniſtæ. Utrobique, & in hac, & altera vita frui utrâque non licebit. Quid ſi tamen illa, quæ ſecundùm Deum eſt conſolatio hic quæritur, veritas in illius à me verbo pro-

propoſita, quantumvis aſperiora ſuadeat, non erit rejicienda: ut ille docere non poterit, qui dixit, *ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* 2. Cor. 7. Deus itaque & ratio nobis hic facilem oſtendit exitum. Vis Deo ſervire in Eccleſia? audi Paulum, *noli quærere uxorem. Nam qui cum uxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori & diviſus eſt; qui ſine uxore, ſolicitus eſt quæ ſunt Domini.* 1. Cor. 7. Hoc ſi arduum nimis ſit. Duc uxorem, ſed abſtine ab Eccleſiaſtico munere, quo ſolicitus teneris eſſe eorum quæ Domini ſunt. *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire.* Idonei nunquam Deo & continentes miniſtri defuturi ſunt, modò non ingerantur illi, qui ventris, non Dei cauſâ, in ſuam aliorumque ruinam, ſe altiora affectant. Sed de Confeſſioniſtis expedita ratio eſt, habeant, quas obtinent uxores, fruantur iis quoque, ad quas admiſſi ſunt, poſſeſſionibus, aut tantundem ex communi reip ærario ſufficiatur, ſi Reformatio acceptata mutationem poſtulet, nihil iis, vel decedere, vel adimi cupimus. neque etiam fas eſt, ut agnita profeſſaq; veritas cuiquam detrimento hiſce in bonis ſit. Principibus quoque Summus Pontifex tam benevolus futurus eſt, & favens adeò Mater Catholica Eccleſia, ut non tantùm hâc Reformatione admiſsâ, quicquam in facultatibus externis damni perpeſſuri ſint, ſed magnum etiam ad opes fortunaſque familiarum cùm locupletandas, tùm ſtabiliendas habituri adjumentum. Vidimus ad quam tenuitatem multi in Europa Nobilium, Comitum, Principum, poſt occupata bona Eccleſiarum, jam intra ſeculi unius decurſum, ceciderint, ut per hæc, tanquam ignem ſacrum, omnia depaſci potiùs, quàm augeri manifeſtum ſit, multorumque brevi ſors ad interitum ſpectet, niſi intelligant his ſe etiam plagis ab errore revocari. Ideoque ſpectatæ opes nullum poſſunt ſuppeditare Reformationis detrectandæ argumentum, quin potiùs ſpem illa ſuggerit, inſtaurandæ ad meliorem fortunam familiæ, ſi veritatis ſalutiſque gratiâ admiſſa fuerit. Cùm promiſſa Chriſti, non fallent: *Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, & cætera omnia adjicientur vobis.* Marc. 13.

Quod igitur felix fauſtumque Deus Opt. Max. omnibus Chriſtianæ veritatis ſectatoribus eſſe velit, jubeatque, Confeſſionis Auguſtanæ Reformationem ex verbo Dei aggredimur. Quæ cùm in duas partes ſive tractatus diviſa ſit: & in altero

in altero fidei ſuæ articulos Lutherani proponant, in altero vero contra abuſus Romanæ Eccleſiæ prolixius agant; nos juxta eandem diviſionem, primo ipſam Confeſſionem, deinde noſtram Reformationem exhibebimus.

TRACTATVS I.

CONFESSIONIS AUGUSTANÆ

ARTICULUS I.

De Deo Trino & Vno.

Eccleſiæ magno conſenſu apud nos docent, decretum Nicenæ Synodi de unitate Eſſentiæ Divinæ, & de tribus perſonis, verum, & ſine ulla dubitatione credendum eſſe. Videlicet quod ſit in Eſſentia Divina, quæ & appellatur, & eſt Deus æternus, incorporeus, impartibilis, immenſa potentia, ſapientia, bonitate, creator & conſervator omnium rerum, viſibilium & inviſibilium, & tamen tres ſint perſonæ ejuſdem eſſentiæ, & potentiæ, & coæternæ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Et nomine perſonæ utuntur eâ ſignificatione, quâ uſi ſunt in hac cauſa Scriptores Eccleſiaſtici, ut ſignificet, non partem, aut qualitatem in alio, ſed quod propriè ſubſiſtit. Damnant omnes hæreſes contra hunc articulum exortas, ut Manichæos, qui duo principia ponebant, bonum, & malum; item Valentinianos, Arrianos, Eunominianos, Mahometiſtas, & omnes horum ſimiles. Damnant & Samoſatenos veteres, & Neotericos, qui cum tantum unam Perſonam eſſe contendant, de Verbo & de Spiritu ſancto aſtutè & impiè rhetoricantur, quod non ſint perſonæ diſtinctæ, ſed quod Verbum ſignificet verbum vocale, & Spiritus motum in rebus creatum.

Obſervatio ad Art. I.

DIgna Chriſtiano homine profeſſio eſt, admittere univerſalis Synodi Nicenæ decreta. Poterunt enim hic ſe jure ex tueri literis; ſi exemplum ſe Eccleſiæ veteris Deique monitum ſecutos aſſerant. Deut. 32. v. 7. *Interroga Patrem tuum & annuntiabit tibi, Majores tuos, & dicent tibi.* Si Chriſto deinde hortanti ſe ferant obſecutos. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt* Matth. v. 7. Sed in hoc à propoſito per incogitantiam deflexerunt Confeſſionis hujus autores, quòd, cùm decreta hujus Concilii admittunt, aliquid præter extraque verbum Dei immediatè (ſic loquar) ſcriptum admittunt. Nam *Patri Filium* ὁμοούσιον ſeu *conſubſtantialem eſſe,* manifeſtum eſt in nulla Scriptura S. vel expreſſis verbis, vel certâ immutabilique conſequentiâ, ex iiſdem ſolis ductâ reperiri. Non expreſſis verbis: quia in tota Scriptura S. vox hæc nuſquam legitur. Nec infallibili conſequentia: quia nihil tale ratione ſimul & S. Scriptura niti poteſt; quod ipſius & rationis principiis non congruit. Sed huic non congruit perſonam unam alteri in natura identificari: cùm receptiſſimum Philoſophorum axioma ſit: quòd *quæ ſunt eadem uni tertio, ſint eadem inter ſe.* Hanc rem ipſa agnovit & profeſſa eſt Nicena Synodus, cùm, inquit: *Sanctorum Patrum doctrina inſiſtentes definimus.* Ut ſi huic Proteſtantes acquieſcant Synodo, jam ſuum cogantur deſerere principium. *Solis Scripturæ verbis ſententiaque inſiſtendum eſſe.* Sed cum nobiſcum hoc in articulo non pugnent: nolo hic nimium urgendo elicere ſanguinem. Porrigimus manum Concordiæ, & cum S. Auguſtino Tom. 2. Epiſt. 174. dicimus: *Ita fieri poſſe, ut etiam* ὁμοούσιον *neque ſcriptum in S. paginis inveniatur, & tamen dictum in aſſertione fidei defendatur. Sicut Patrem in illis libris nuſquam ingenitum legimus & tamen dicendum eſſe defenditur.* Ita defendamus, & ſancta in pace ac religione orthodoxa ſociemur.

Iterum quod dicant. *Decretum Nicenæ Synodi de unitate eſſentiæ divinæ, & de tribus perſonis verum, & ſine ulla dubitatione credendum*: placet ſanè? at hæc ſententia, neque expreſsè, neque neceſſariâ conſecutione ex ſola Scriptura deducetur: præ-

ſer-

ſertim ſi illa, cum Luthero & Orientalibus hæreticis, græcum textum mutilantibus, verba ex Joannis Apoſt. Epiſtola 1. c. 5. v. 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt*, à Confeſſioniſtis quoque non agnoſcantur. Quibus tamen admiſſis; cùm Scriptura non definiat: *unitaſne voluntatum in amore, an naturarum in eſſentia intelligenda ſit?* & ſi conſequentiâ rationis agendum ſit, pro amoris unitate futura ſit concluſio: rectè Confeſſio Auguſtana definit, quod decreto Nicenæ Synodi velit acquieſcere, qua in re, ſi ut loquitur, ſentiat: habemus concordiam.

Tertiò magis ſe etiam ex mente ſcriptorum Eccleſiaſticorum loqui teſtantur, quando aſſerunt. *Nomine perſonæ utuntur eâ ſignificatione, quâ uſi ſunt in hac cauſa ſcriptores Eccleſiaſtici, ut ſignificet non partem, aut qualitatem in alio, ſed quod propriè ſubſiſtit.* Hoc enim diſcrimen, cum nullibi ſcriptura ſtatuat, ex uſu Eccleſiæ erat deſumendum. Quocirca rectè quidem Confeſſioniſtæ hic omnia, illud tantùm monendi à nobis ſunt; non poſſe hunc ſe articulum tueri, niſi traditum Dei Verbum cum ſcripto in Eccleſia ſua admittent, quod cùm omninò faciendum eſſe, infra ex S. literis probemus, damus hoc loco manum ſperatæ Concordiæ. Et ſiquidem iſto ſenſu accipiendum ſit, quod in oblata Cæſari Confeſſione, inter præfandum teſtantur: ſe offerre *doctrinam ex ſcripturis ſanctis, & puro Dei Verbo* deſumptam, non ſolum non obluctamur, ſed parem quoque profeſſionem veritatis ultrò amplectimur.

Nunc ad reliquos articulos progredior, in quorum reformatione ex verbo Dei facta, profiteor me examini illorum, quæ utcunque ſano orthodoxæ Eccleſiæ ſenſu admitti poſſunt, rigidè penſiculatèque inhærere nolle, quòd ejuſmodi iſta ſint, quæ ultrò, ad aliorum correctionem impetratam perſuaſamque, ſanæ integræque religionis ſententiam admiſſura videantur.

ARTICULUS II.

De peccato Originis.

ITem docent, quod poſt lapſum Adæ omnes homines naturali modo propagati naſcentes, habeant peccatum originis. Intelligimus autem peccatum originis, quod ſic vocant

cant ſancti Patres, & omnes Orthodoxi, & piè eruditi in Eccleſia, videlicet reatum, quo naſcentes propter Adæ lapſum, rei ſunt iræ Dei, & mortis æternæ, & ipſam corruptionem humanæ naturæ propagatam ab Adam. Et hæc naturæ humanæ corruptio, defectus juſtitiæ, ſeu integritatis, ſeu obedientiæ originalis eſt, & concupiſcentiam complectitur. A

Eſtque defectus horribilis, cæcitas & inobedientia, ſcilicet carere illa luce ac noticia Dei, quæ fuerat futura in natura integra, item carere illa rectitudine, hoc eſt, perpetua obedientia, vera, pura, ac ſumma dilectione Dei, & ſimilibus donis integræ naturæ (quare defectus illi, & concupiſcentia, ſunt res damnata, & ſua natura digna morte) eſtque vitium originis verè peccatum, damnans & afferens nunc quoque æternam mortem, his, qui non renaſcuntur per Baptiſmum, & Spiritum ſanctum. Damnant Pelagianos qui negant peccatum originis, & ſentiunt defectus illos, ſeu concupiſcentiam eſſe res indifferentes, ſeu pœnas tantùm, nec eſſe res ſua natura damnatas, & ſomniant, hominem legi Dei ſatisfacere poſſe, & propter hanc propriam obedientiam coram Deo juſtum pronunciari.

§. 1. *Reformatio Articuli II.*

CRedimus *concupiſcentiam peccatum parere.* (Jac. 1. verſ. 15) *Sed quod nihil damnationis inde iis ſit, qui ſunt in Chriſto Ieſu.* (Rom. 8. v. 1.) *Cùm gratia Dei, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum nos liberet, de corpore mortis hujus.* (Rom. 7. v. 24.) *Sic enim Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea; ut eam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ, in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejuſmodi.* (Epheſ. 5. v. 25.) *Cum illo enim mortuo vetus noſter homo ſimul crucifixus eſt; ut deſtruatur corpus peccati, ut ultra non ſerviamus peccato.* (Rom. 6. v. 6.)

§. 2 *Obſervatio ad Art. II.*

HAnc ex S. Scriptura reformationem ſi non aſpernentur, art. hunc 2. plano obvioque in ſenſu admittemus. Utrimque ſentimus, concupiſcentiam ex Adami errantis lapſu ad nos propaga-

pagari: utrimque hanc peccatum etiam in nobis parere non diffitemur, & ſi iccirco illam quiſpiam peccatum, ut D. Paulus facit, vel à cauſa unde prodiit, vel ab effectu quem producit, nuncupaverit, cùm ex uſu loquatur, nihil impugnabimus; ſed cum Auguſtino lib. 1. de nupt. & concupiſc. cap. 24. dicens: *Ipſa quidem concupiſcentia jam non peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non conſentitur, ſed modo quodam loquendi peccatum vocatur, quod ex peccato facta eſt, & peccatum ſi vicerit, facit.*

At hoc ſi nullo modo, ſalvâ Scripturâ S. patiemur: ut originale peccatum Adami, transfuſum in poſteros, dicatur ipſa ſimul eſſe concupiſcentia, tum quia nulla ſcriptura hoc aſſerit: tum vel maximè quia hæc eadem repugnat. Cùm enim poſt lavacrum regenerationis concupiſcentiam in regeneratis manere utriuſque partis conſenſione receptum ſit, hanc peccatum non eſſe, omninò eſſe ſentiendum; quod *macula & ruga peccati in baptizatis non maneat, ſed vetus homo, & corpus peccati,* (juxta diſertiſſimam ſcripturam) *ita deſtruatur, ut nihil in iis ſit damnationis.* Quare Auguſtanæ Conf. art. 11. ex hac ſcriptura neceſſariò eſt reformandus, aut S. Literis hac in parte obnuntiandum.

ARTICULUS III.

De Incarnatione.

ITem docent, quod Verbum, hoc eſt, Filius Dei, aſſumpſerit humanam naturam in utero Beatæ Mariæ Virginis, ut ſint duæ naturæ, Divina, & humana, in unitate perſonæ inſeparabiliter conjunctæ, unus Chriſtus, verè Deus, & verè homo, natus ex Virgine Maria, verè paſſus, crucifixus, mortuus, & ſepultus, ut reconciliaret nobis Patrem, & hoſtia eſſet, non tantùm pro culpa originis, ſed etiam pro omnibus actualibus peccatis hominum. Idem deſcendit ad inferos, & verè reſurrexit tertiâ die, deinde aſcendit ad cœlos, ut ſedeat ad dexteram Patris, & perpetuo regnet, & dominetur omnibus creaturis, ſanctificet credentes in ipſum, miſſo in corda eorum Spiritu ſancto (& ſanctificatis det vitam æternam) idem Chriſtus palam eſt rediturus, ut judicet vivos & mortuos reſuſcitatos, juxta ſymbolum Apoſtolorum.

Obſervatio ad Art. III.

NIhil eſt quod in hoc articulo, candidè, obvioque in ſenſu accepto, reformatione egeat, aut concordiam impedire poſſit. Quocirca hunc admittimus.

ARTICULUS IV.

De Iuſtificatione.

VT autem conſequamur hæc beneficia Chriſti, ſcilicet remiſſionem peccatorum, juſtificationem, & vitam æternam, dedit Chriſtus Evangelium, in quo hæc beneficia nobis proponuntur, ſicut ſcriptum eſt Lucæ ultimo, *Prædicari pœnitentiam in nomine ejus, & remiſſionem peccatorum inter omnes Gentes.* Cùm enim omnes homines naturali modo propagati habeant peccatum, nec poſſint verè legi Dei ſatisfacere, Evangelium arguit peccata, & oſtendit nobis mediatorem Chriſtum, & ſic docet nos de remiſſione peccatorum.

Cùm Evangelium arguit peccata noſtra, corda perterrefacta ſtatuere debent, quòd gratis nobis propter Chriſtum donentur remiſſio peccatorum, & juſtificatio per fidem, quâ credere & confiteri debemus. (B.) hæc nobis donari propter Chriſtum, qui pro nobis factus eſt hoſtia, & placavit Patrem. Quanquam igitur Evangelium requirit pœnitentiam, tamen ut remiſſio peccatorum certa ſit, docet eam gratis donari, hoc eſt non pendere ex conditione dignitatis noſtræ, nec dari propter ulla præcedentia opera, (C.) aut dignitatem ſequentium. Fieret enim incerta remiſſio, ſi ita ſentiendum eſſet, tum demum contingere nobis remiſſionem peccatorum, poſtquam eam præcedentibus operibus meriti eſſemus, aut ſatis digna eſſet pœnitentia.

Conſcientia enim in veris pavoribus nullum invenit opus, quod poſſit opponere iræ Dei, & Chriſtus nobis donatus, & propoſitus eſt, ut ſit propitiator. Hic honos Chriſti non debet transferri in noſtra opera; ideo Paulus dicit; *Gratis ſalvati eſtis.* Item *ideo ex fide gratis, ut ſit firma promiſſio,* hoc eſt, ita erit certa remiſſio, cùm ſciemus eam non pendere ex conditione noſtræ dignitatis, ſed donari propter Chriſtum. Hæc eſt firma & neceſſaria conſolatio piis & perterrefactis mentibus. Atque ita docent & SS. Patres, & extat apud Ambro-

ſium

ſium memorabilis & inſignis ſententia his verbis: *Hoc conſtitutum eſt, ut qui credit in Chriſtum ſalvus ſit, ſine opere, ſolâ fide, gratis accipiens remiſſionem peccatorum.* D

Et fidei vocabulum, non ſolum cognitionem hiſtoriæ de Chriſto ſignificat, ſed etiam credere, & aſſentiri huic promiſſioni, quæ eſt Evangelii propria, in qua propter Chriſtum nobis promittuntur remiſſio peccatorum, juſtificatio, & vita æterna. Nam & hæc promiſſio ad hiſtoriam de Chriſto pertinet, ſicut & in ſymbolo additus eſt hiſtoriæ hic articulus: *credo remiſſionem peccatorum.* Et ad hunc articulum reliqui de hiſtoria Chriſti referri debent. Nam id beneficium eſt finis hiſtoriæ. Ideo Chriſtus eſt paſſus & reſuſcitatus eſt, ut propter ipſum nobis donarentur remiſſio peccatorum, & vita æterna.

§. 1. *Reformatio Articuli IV.*

1. B. CRedimus, quod *fides ſit ſperandarum rerum ſubſtantia (ſeu fundamentum ὑπόστασις) argumentum non apparentium.* Hebr. 11. Et licet hac *fide gratis juſtificemur,* Rom. 3. non tamen ſola hac; nam *ſi habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt* 1. Cor. 13. v. 2. quia *fides ſine operibus mortua eſt.* Jac. 2. v. 14. *Ex fide quidem ſpem juſtitiæ habemus, ſed hæc fides per charitatem operatur.* Gal. 5. v. 6. ut *ſimus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate.* Eph. 1. v. 4.

2. C. *Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos (cùm eramus in malitia, odibiles & odientes invicem) ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus S. quem effudit in nos abundè per I. C. Salvatorem noſtrum, ut juſtificati gratiâ ipſius, hæredes ſimus ſecundùm ſpem* (non infallibilem certitudinem) *vitæ æternæ* Tit. 3. v. 5. Non igitur ex operibus juſtitiæ noſtræ, ſed Chriſti meritis *credimus remiſſionem peccatorum* eſſe in Eccleſia.

§. 2. *Obſervatio ad Art. IV.*

CUm in hoc articulo plura de fide, remiſſione peccatorum, & operibus minus explicatè à Confeſſione tangantur, quæ inferius locis diverſis præſertim art. 20. diſtinctius exponit,

exponit; non eiſdem magis diſertè locis noſtram quoque ſententiam ex S. Scriptura, & Tridentino Concilio proponemus.

C. Interea hîc paucis fatemur, rectè ab Auguſtanis tradi, quod gratuita omnino ſit peccatorum remiſſio, ſeu juſtificatio peccatoris: ut & nos ex Apoſtolo docemus ad Tit. 30. eò quod hæc nullo operum noſtrorum præcedentium merito, ſed gratuita Dei miſericordia, per Chriſtum impetretur. numero 2.

Fidem quoque juſtificare peccatorem fatemur; ſed talem talique ratione, qua illam (B) deſcribit, & juſtificare docet, tam Paulus, quàm Jacobus Apoſtolus, num. 1. ut vel ſe ſola ſit fundamentum juſtificationis, & ſalutis noſtræ, illam inchoando; aut primo ad illam diſponendo, vel prout *viva* eſt, *& per charitatem operatur*, ſic enim proximè diſponit, atque ab illa *habemus ſpem juſtitiæ*; ut ſimus *ſancti & immaculati*. Ita enim ſcriptura S. & nos cum illa ſentimus, ut infra magis diſertè patebit. Neque hæc ſententia tollit gratuitam per Chriſti merita peccatoris juſtificationem, cum, ſive fidem ſpectes ſolam, prout opponitur operibus, etiam internis virtutum; ſive fidem vivam, prout opera hæc includit; ſemper gratis peccatorem, citra ipſius meritum, juſtificari ſentiamus. Ad cujus ſententiæ acceptationem tantò magis tenentur adverſarii, quod nec ipſi fidem aliter, niſi vivam, juſtificari ſentiant. Quam cum vivam eſſe, & operari per charitatem, ſcriptura definiat: nihil eſt, quod obluctentur, aut manum non porrigant veritati.

D. Sententia, quæ ex D. Ambroſio, ſine loco citato, adjicitur, his verbis non reperitur. Et ſi daretur, non excluderet, niſi cum Paulo Rom. 4. carnalis hominis, ſive infidelis opera; aut etiam fidelis hominis, opera externa, minimè requiſita; vel quæcunque cujuſcunque peccatoris opera juſtificationem nunquam promeritura. Hæc fortè ex Ambroſio producere voluit. *Iuſtificati ſunt gratis, quia nihil ſunt operantes, neque vicem reddentes, ſolâ fide, juſtificati ſunt dono Dei. Chriſtus nos redimit, offerens ſe pro nobis.* Epiſt. ad Rom. 3. tom. 5. Quæ obvio in ſenſu amplectimur.

ART. V.

ARTICULUS V.

De Miniſterio Evangelii, ſeu de fide & remiſſione peccatorum.

ITaque inſtituit Chriſtus miniſterium docendi Evangelii, quod prædicat pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum. Eſtque utraque prædicatio univerſalis, omnium peccata arguit, & omnibus credentibus promittit remiſſionem peccatorum, ut non ſit incerta remiſſio, ſed ut omnes perterrefactæ mentes ſciant, ſe debere credere, quòd certò (E) donetur nobis remiſſio peccatorum propter Chriſtum, non propter noſtra merita, aut dignitatem. Et cùm hoc modo conſolamur nos promiſſione, ſeu Evangelio, & erigimus nos fide, certò conſequimur remiſſionem peccatorum, & ſimul datur nobis Spiritus ſanctus; nam Spiritus ſanctus datur, & eſt efficax per verbum Dei, & per Sacramenta. Cùm evangelium audimus, aut cogitamus, aut Sacramenta tractamus, & fide nos conſolamur, ſimul eſt efficax Spiritus S. juxta illud Pauli ad Galat 3. *Ut promiſſio ex fide Ieſu Chriſti detur credentibus.* Et ad Corinth. *Evangelium eſt miniſterium ſpiritus.* Et ad Rom. *Fides ex auditu eſt.* Cùm igitur fide nos conſolamur, & liberamur à terroribus peccati per ſpiritum S. concipiunt corda cæteras virtutes, agnoſcunt verè miſericordiam Dei, concipiunt veram dilectionem, verum timorem Dei, fiduciam, ſpem auxilii divini, invocationem, & ſimiles fructus Spiritus.

Damnantur illi, qui de hac fide, quâ remiſſio peccatorum accipitur, nihil docent, ſed jubent conſcientias dubitare, an conſequantur remiſſionem peccatorum. Et addunt, hanc dubitationem non eſſe peccatum. Item, docent homines conſequi remiſsionem peccatorum propter propriam dignitatem, non docent credendum eſſe, quòd gratis propter Chriſtum remiſſio peccatorum donetur.

Damnantur item phanatici ſpiritus, qui fingunt Spiritum S. dari, aut efficacem eſſe ſine verbo Dei; & ob eam cauſam contemnunt miniſterium Evangelii, & Sacramentorum, & quærunt illuminationes ſine verbo Dei, & extra Evangelium, atque ita abducunt animos à verbo Dei ad proprias opiniones, quod eſt pernicioſiſſimum. Tales olim fuerunt Manichæi, Enthuſiaſtæ, & nunc ſunt Anabaptiſtæ. Hujuſmodi

modi furores conſtanter damnamus: abolent enim verum uſum verbi Dei, & falsò ſomniant, ſine verbo Dei accipi Spiritum S. & freti ſuis opinionibus comminiſcuntur impia dogmata, & efficiunt infinitam diſsipationem.

§. 1. *Reformatio art. V.*

E. CRedimus, nos rectè ab Apoſtolo admoneti, *cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini: Deus enim eſt, qui operatur in vobis velle & perficere, pro bona ſua voluntate.* Ad Philip. 2. v. 12. Nam & ipſe de ſe dicit: *Neque meipſum judico: nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum: qui enim judicat me, Dominus eſt. Itaque nolite ante tempus* (etiam de vobis) *judicare, quoad uſque veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum.* 1 Cor. v. 4. *In Chriſto tamen habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia per fidem ejus, ut det nobis, ſecundùm divitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari, per ſpiritum ejus in interiorem hominem, Chriſtum habitare per fidem in cordibus noſtris, in charitate radicati, & fundati.* Eph 3. v. 12. & 16.

§. 2. *Obſervatio ad art. V.*

PRincipio errat hæc confeſsio, & hîc, & alibi, quando per Evangelium Chriſti prædicatum terrorem mentibus docet ingeri, quas perterrefactas deinde fides, de certâ peccatorum remiſsione impetranda propter Chriſtum, hoc terrore liberet. Nam impoſſibile eſt terreri quempiam rebus divinis, antè per fidem non apprehenſis cognitiſque. Philoſophorum vetus ſcitum eſt, nihil in voluntate, niſi ante in intellectu. Et S. Scripturæ voces ſunt: *Accedentem ad Deum oportet credere. Fides fundamentum eſt rerum ſperandarum.* Heb. 11. Fides itaque ante ſalutiferum hunc terrorem, non terror ante fidem eſt. Unde primùm illa concidit certitudo, quam Confeſsioniſtæ volunt credentis eſſe propriam, contra Paulum ad Philip. 2. & 1 Cor. 4.

Promiſſio Chriſti de remiſsione certa eſt: at incertum, an tu viva fide credas, ut oportet, ideoque, an peccata tibi remiſſa ſint. Non Chriſti promiſsio, ſed tua te poteſt fallere vel imbecillitas, vel perverſitas. Si Paulus non poteſt certum de

ſeipſo

ſeipſo judicato formare judicium, quâ præfidentiâ tu illud formabis?

Oſtendo illud manifeſtiùs. Juberis orare à Chriſto inſtructore: *Dimitte nobis debita noſtra.* Hoc ſi vera in fide poſtulas, credis te eſſe in debitis peccatorum, quomodo ergo eadem fide credis debita tibi jam dimiſſa eſſe? An non hæc apertè pugnant, imò fidem talem in orante deſtruunt? cùm qui orat: *Dimitte*, ſibi remiſſa peccata eſſe non judicet: aut certè de remiſſione certus non ſit. Nemo igitur Proteſtantium, niſi fidem ſuam abneget, orationem Dominicam recitabit.

Denique ſic erroris convinco. Credenti ſicut oportet remiſſio peccatorum promiſſa eſt, ideoque per fidem primùm remiſſio confertur. Ante fidem igitur remiſſionem conferri, falſum eſt. Ergo ut rectè credat per fidem juſtificantem, tenetur credere, ſibi remittenda eſſe peccata, non verò remiſſa, nam ſi remiſſa eſſe credat, falſum credit; quia ante juſtificantem fidem nihil erat remiſſum. Si verò remittenda eſſe credat, certus non erit de facto ſibi eſſe remiſſa. Vel ſi dicas, quòd credat ſibi remitti, credet ſe peccatorem ſimul & juſtum: cui enim remittitur, in peccato adhuc verſatur, ideoque hac fide, non habet certitudinem de remiſſione facta: ſimulque credit ſe juſtum, cùm juſtus ſit, cui juſtitia Chriſti imputatur: En quanta confuſio. Sed cùm ex hujus fidei deſtructione tota cauſa Proteſtantium pendeat, infra rurſum manifeſtis illam Scipturis, & rationibus disjiciemus.

Malè Catholicis imponitur, quòd & dubitare conſcientias jubeant, & peccatorum remiſſionem dignitate operum doceant conſequi. Nos aſſerimus, quòd Paulus, ita cum metu divinæ juſtitiæ ſalutem noſtram operandam, Phil. 2. ut fiducia ſimul in Chriſti meritis collocetur, 1 Cor. 4. Deinde (ut viſum art. 4.) peccatores non ex operibus juſtitiæ ſuæ, ſed Dei miſericordia ſervari, Tit. 3. Et infra art. 20. magis ex Tridentino, & S. Literis patebit.

ARTICULUS VI.

De bonis operibus.

ITem docent, quòd cùm fide reconciliamur, neceſſariò ſequi debeat juſtitia bonorum operum, quæ Deus nobis mandavit, ſicut & Chriſtus præcepit: *Si vis in vitam ingredi, ſerva*

ſerva mandata. Sed quia tanta eſt infirmitas humanæ naturæ, ut nemo legi ſatisfacere poſſit, neceſſe eſt docere homines, non ſolùm quòd legi obediendum ſit, ſed etiam, quomodo placeat hæc obedientia; ne conſcientiæ incidant in deſperationem, cùm intelligant ſe non ſatisfacere legi. Placet igitur hæc obedientia, non quia legi ſatisfacit, ſed quia perſona eſt in Chriſto reconciliata fide, & credit ſibi reliquias peccati condonari. Semper igitur ſentiendum eſt, nos conſequi remiſſionem peccatorum, & perſonam pronunciari juſtam, id eſt, acceptari gratis propter Chriſtum, per fidem. Poſtea verò placere etiam obedientiam erga legem, & reputari quandam juſtitiam, & mereri præmia. Non enim poteſt conſcientia apponere judicio Dei propriam mundiciem, aut opera, ſicut Pſalmus teſtatur: *Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur coram te omnis vivens.* Et Joannes ait: *Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus; ſi confiteantur peccata noſtra, fidelis & juſtus eſt, ut remittat nobis peccata noſtra.* Et Chriſtus inquit: *Cùm feceritis omnia, dicite, ſervi inutiles ſumus.* Poſtquam autem perſona reconciliata & juſta fide, id eſt, accepta eſt, placet & obedientia, & reputatur eſſe quædam juſtitia, ſicut Joannes inquit: *Omnis qui in eo manet, non peccat.* Et 2 Cor. 1. *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.*

Ac debet hæc obedientia repugnare pravis cupiditatibus, & ſubinde ſpiritualibus exercitiis fieri purior, & cavere, ne quid committamus contra conſcientiam, juxta illud: *Summa legis eſt dilectio, ex puro corde, & conſcientia bona, & fide non ficta.* Qui verò obtemperant pravis cupiditatibus, & agunt contra conſcientiam, verſantur in peccatis mortalibus, nec fidei juſtitiam, nec juſtitiam bonorum operum retinent, juxta illud Pauli: *Qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.*

§. I. *Reformatio Art. VI.*

G. CRedimus, in hac vita tales dari *juſtos ante Deum, qui incedant in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini, ſine querela.* Luc. 1. v. 6. *Et ſi unius delicto multi mortui ſunt, quòd multò magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundet; ut ſicut peccatum regnavit ad mortem, ita & gratia regnet per juſtitiam,* Rom. 5. v. 15. *Nihil ergo nunc damnatio-*

damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundùm carnem ambulant. Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberavit me à lege peccati & mortis, ut juſtificatio legis impletur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum. Rom. 8. v. 1. &c. Hæc ſi citra corruptionem admittantur, pax eſt.

H. Iterum credimus, quòd *ſi ſimus abundantes in opere Domini, labor noſter non ſit inanis futurus in Domino*, 1 Cor. 15. v. 58. *Sed confidentia noſtra magnam habeat remunerationem.* Hebr. 10. v. 35. & quòd, *quicunque potum dederit uni ex minimis calicem aquæ frigidæ tantùm, in nomine diſcipuli, non perdet mercedem ſuam*, tunc, cùm Judex dicturus eſt: *Poſſidete regnum: eſurivi enim & dediſtis &c.* Matt. 25. *Vnuſquiſque enim propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* 1 Cor. 3. v. 8. *Neque enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis noſtri, & dilectionis, quam oſtendimus in nomine ipſius.* Hebr. 6. v. 10. Hæc ſancta eſſe cupimus & incorrupta.

§. 2. *Obſervatio ad Art. VI.*

COrrigendum juxta S. hanc Scripturam eſt, *quòd tanta ſit infirmitas humanæ naturæ, ut nemo legi Dei ſatisfacere poſſit.* Si enim in mandatis omnibus & juſtificationibus, quidam ambulant, ſi gratia in nobis præ peccato abundat, ſi nihil damnationis remanet iis, qui ſecundùm carnem non ambulant, ſi ipſa habent opera remunerationem, ut juxta hæc merces conferatur: quis non intelligit, his legi Dei ſatisfieri, atque iccirco placere obedientiam noſtram, quia ſine crimine prævaricationis eſt, & in ſe bona. Et qua fronte obedientiam hanc legis dicemus, quæ legi non ſatisfacit, adeoque ejuſdem eſt legis prævaricatio. Quis monſtra hæc in uno conjunget actu? *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate, quæ ſocietas luci ad tenebras?* 2 Cor. 6. v. 14.

At, non placet obedientia difformis legi Dei in ſe, (inquiunt,) ſed *ratione perſonæ Chriſto in fide conciliatæ.* Præclarè enimverò, an improbum opus in probo placere poteſt homine, lutum in auro, ſerpens in herba virenti? & quomodo homo gratus manet, qui ingrata perpetrat? quomodo Deus talem imperat exigitque obedientiam, quæ neceſſariò legi difformis eſt? quomodo is, qui peccatum velle non poteſt,

talem

talem poteſt velle obedientiam, hoc eſt, idem velle, ac nolle, imperare ac deteſtari?

Saltem, dicent, *reconciliata perſona placet.* Quare? propter fidem. Ergo fides fiduciáque in tali perſona perfecta erunt, & ſine vitio, ergo & charitas, per quam fides operatur, ergo & opera, ſine quibus fides mortua eſt, aut novum monſtrum doctrinæ inferendum eſt: quod per charitatem & opera, quæ legi difformia ſunt, fides vivifica fiat, & Deo ipſa placeat cum perſona credentis. Et quid, ſi nec ipſa fides legi rerum credendarum omnino conformis ſit, quid ſi ex radice inficientis totum hominem concupiſcentiæ profluat? quomodo illa, quomodo ipſe homo huic immerſus originali vitio placere Deo, ut perſona fide reconciliata, poteſt?

Dicent fortè; placet homo, quia fide juſtitiam Chriſti apprehendit, & ex hac reputari juſtus. Bene habet: multiplicatis, non excutitis vobis laqueos. Nam hac via placere non minus debet obedientia, quæ legi non ſatisfacit, quàm homo; quia & hæc, ut dicitis, *reputatur eſſe quædam juſtitia.* Placet ne igitur Deo homo in ſe iniquus? placet iniqua actio, & ideo (ô ſtupendam rem!) placet, quia quod iniquum eſt, pro æquo reputat, lucem eſſe in tenebris ſtatuit, in iniquitate juſtitiam; poſſunt ne ſordes placere, licèt in lance proponantur aurea; peccato inquinatus actus, qui abominationis infinitæ eſt, propoſitus ſub Chriſti Juſtitia? An homines ſumus, aut inter homines, cùm iſta, vel ſentimus, vel audimus tot tamque apertis Dei Scripturis, ac rationi nobis ingenitæ, reclamantibus? Quid dignum homine, Deóque agimus, quando præter peccata nihil agimus?

Hæc nimirum incitamenta ſunt, ad ſuam Evangelio præſtandam obedientiam. Hæc gloria meritorum Chriſti, quam hîc adverſarii pleno ore jactitant, cùm adverſus manifeſtam Pauli Rom. 5. & 8. ſententiam, tantum illis non concedant virtutis, ad opera noſtra à damnatione expurganda, quantum Adami delictum ad inficienda habuit. An non aurum illud longè ſentires nobiliſſimum, quod quæcunque ex metallis etiam tangeret, in aurum converteret? Chriſti merita dignè non æſtimat, qui cum Joanne non profitetur: *Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato*, 1 Joan. 1. v. 7. & qui tantum, virtute meritorum Chriſti, noſtris non tribuit operibus; ut illam Petri exhortationem admittat, (quam nonnulli mutila-

mutilatores reſpuunt,) *Fratres, ſatagite, ut (per bona opera) certam vocationem veſtram, & electionem faciatis?* 2 Pet. 1. v. 10. Audiamus ſane & ſcribamus ſenſu manuque concordi ab Angelo moniti: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, opera enim illorum ſequuntur illos.* (Apoc. 14. v. 13. & ad illum ſequuntur locum, ubi difformis legi obedientia locum non invenit. Verùm hæc prolixiùs infra art. 20. videbimus.

Ceterùm Scripturæ à Confeſſioniſtis adductæ, cum ſuperioribus per nos adductis facilè conciliantur, ſi fateamur, quòd nonnunquam etiam *juſtus ſepties in die cadat,* verùm *& reſurgat.* Prov. 24. v. 16. ubi tamen Sapiens addit: *Ne quæras impietatem in domo juſti; impii enim corruent in malum.* Et juſtus igitur labitur, ſed non, ut impii. Labitur, ut fateatur ſe peccatorem, cùm verò reſurgit, manere in peccato non poteſt, ſed legi ſe conformat. Inutilem ſe tamen Domino ſervum fateri cogitur; quia nihil, niſi quod debitum erat, ſine Domini commodo, ſuo tamen emolumento eſt executus.

ARTICULUS VII.

De Eccleſia.

Item docent, quòd una ſancta Eccleſia perpetuò manſura ſit. Eſt autem Eccleſia Chriſti propriè, congregatio membrorum Chriſti, hoc eſt, Sanctorum, qui verè credunt & obediunt Chriſto: etſi in hac vita huic congregationi multi mali & hypocritæ admixti ſunt, uſque ad noviſſimum judicium. Habet autem Eccleſia, propriè dicta, ſigna ſua, ſcilicet puram & ſanam Evangelii doctrinam, & rectum uſum Sacramentorum. Et ad veram unitatem Eccleſiæ ſatis eſt conſentire de doctrinâ Evangelii, & adminiſtratione Sacramentorum. Nec neceſſe eſt, ubique ſimiles eſſe traditiones humanas, ſeu ritus ab hominibus inſtitutos, ſicut & Paulus docet, cùm ait: *Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma, unus Deus & Pater omnium.*

§. 1. *Reformatio art. VII.*

Credimus in *unam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam,* ut ſymb. Apoſt. & Nicen. habet, *quæ ut civitas ſupra montem poſita, abſcondi non poteſt,* Matt. 5. v. 15. *In qua Deus dedit,* *Paſto-*

Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, ad ædificationem corporis Chriſti, ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum. Eph. 4. v. 11. *Fides enim ex auditu, & audire non poſſumus ſine prædicante.* Rom. 10. v. 14. & 17.

L. Credimus item, quod *Spiritus S. poſuerit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* Act. 20. v. 28. *quæ fundata eſt ſupra petram, ita ut portæ inferi prævalere nequeant.* Matt. 16. Cui promiſit Chriſtus *Spiritum veritatis, ut maneat cum illa in æternum.* Joh. 14. v. 17. *Quæ eſt Eccleſia Dei vivi, & columna, & firmamentum veritatis.* 1 Tim. 3. v. 15. quam proinde in controverſiis audire tenemur, ut *qui Eccleſiam non audierit, ſit ſicut ethnicus & publicanus.* Matt. 18. v. 17. Ideoque non tantùm Apoſtolicæ traditiones audiendæ ſint, juxta Paulum: Fratres, *ſtate & tenete traditiones, quas accepiſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.* 2 Theſſ. 2. v. 14. ſed Eccleſiaſticæ etiam: *Obedite*, inquit, *præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis.* Hebr. 13. v. 17.

§. 2. *Obſervatio ad Art. VII.*

1. HIc articulus adeò leviter, quam Confeſſioniſtæ faciunt, attingendus non videbatur, cùm ex illo totius penè concordiæ, uti & diſſenſionis momentum libretur. Si ſigna veræ nobis Eccleſiæ dare placuit, & notiora hæc eſſe ipsâ Eccleſiâ oportuit, & talia, quæ heterodoxæ ſibi Eccleſiæ vendicare non poſſent, quæque perpetuo atque indiviſo nexu Eccleſiæ ſuæ adhæſiſſent. Nihil verò horum his in ſignis eminet: nam quæ ſit *pura ſanáque* Evangelii doctrina, ac prædicatio, quiſve *rectus* Sacramentorum uſus? apud nos, an illos? non minùs obſcurum eſt, quam, quæ utriuſque partis vera ſit Eccleſia? Deinde hæretici olim, & hodiedum Anabaptiſtæ, ac Calviniſtæ non minus eaſdem ſibi notas orthodoxæ Eccleſiæ vendicant. Denique ipſi Lutherani fatentur, puram ſanámque Evangelii prædicationem, & rectum Sacramentorum uſum ante Lutherum in Eccleſia intercidiſſe, aut ſi hoc negent, ſimilem illi, quem hodie uſurpant, ad Apoſtolos uſque fuiſſe demonſtrent. Qua in re cùm poſtulem impoſſibilia; jacent hæc ſigna, quæ nec *ſoli*, nec *ſemper* competunt. Tamen ſi quæ illa ſint, longè certiùs Eccleſiæ Roma-

Romanæ convenient: cujus pura ſanáque Evangelii Chriſti prædicatio, vel ſcriptis, vel ſermone, ut Paulus vult, tradita, ſemper ab Apoſtolis hucuſque cum recto Sacramentorum uſu viguit. Ut manifeſta Paſtorum & Doctorum, in eadem doctrina & miniſterio ſucceſſione, juxta Eph. 4. probamus. Quam cùm adverſarii nequeunt producere, ideoque fides illorum omni retrò ætate propagari, juxta Scripturam, non potuerit; cùm miniſterium, ædificatio Eccleſiæ, auditio, Prædicans, ad hanc propagationem neceſſaria defuerit, causâ Lutherani cadunt.

L. Dicant unam eſſe Eccleſiam, fundatamque in fide Petri; ego cum Scriptura dicam, in petra, quæ erat Petrus. Dicant, ad ſucceſſores non pertigiſſe hoc privilegium fundandi eccleſiam: ego non minùs evincam, hac in re alios ſucceſſiſſe, quàm ab ipſo ſucceſſores delectos Epiſcopos. Qui unum his tollit, tollit & alterum. Ad filios adoptatos hæreditas ac principatus paternus ſpectat. Dicant, Eccleſiam non audiendam in fide, ſed in moribus, ſi controvertatur, ego generale pronuntiatum, universè ut par eſt, ſumo, niſi per diſertam Scripturam limitetur. Axioma Chriſti fuit, quod in quovis aberrante locum habet: Mater Eccleſia, à piis filiis ſemper eſt audienda. Dicant, errare poſſe viſibilem Eccleſiam, & inviſibilem ſolam eſſe firmamentum veritatis. Ad ridendos ſeſe præbebunt, *qui domum Dei*, in qua Timotheus verſabatur cum Paulo, aliiſque Epiſcopis, ut eam regerent, inviſibilem fuiſſe fingant. Neque ad Epheſinam, Corinthiacam hoc ſolùm, ſed univerſam Eccleſiam dictum ſpectat, quod Paulus abſolutè *de domo Dei, & Eccleſia Dei vivi*, pronuntiabat.

Jam traditiones Apoſtolicas, ſi ſcriptas omnes eſſe contendas, quâ id rurſum Scriptura facies; ut ſermonem, ſcriptis à Paulo oppoſitum, tu cum illis eundem eſſe convincas? Rurſum ſi obediendum Præpoſitis, quomodo illorum traditiones potes aſpernari? Aut doce, hos nihil, niſi ex S. Literis imperare debere, idque per indubitatam Scripturæ definitionem, aut ejuſmodi objectiunculis tempera, & clarum apertumque nobiſcum Dei verbum, citra omnem interpretationis vim, in communi religionis pace amplectere.

ARTICULUS VIII.

De Eccleſia Sacramentis.

CUm autem in hac vita admixti ſint Eccleſiæ multi mali & hypocritæ, qui tamen ſocietatem habent externorum ſignorum cum Eccleſia, licet uti Sacramentis, quæ per malos adminiſtrantur, juxta vocem Chriſti: *Sedent Scribæ & Phariſæi in cathedra Moſis &c.* & Sacramenta, & verbum Dei propter ordinationem, & mandatum Chriſti ſunt efficacia, etiamſi per malos exhibeantur.

Damnant Donatiſtas, & ſimiles, qui negabant licere populo uti miniſterio malorum in Eccleſia, & ſentiebant miniſterium malorum inutile & inefficax eſſe.

Obſervatio ad Art. VIII.

NIhil hîc magnoperè emendandum, niſi quòd non appareat, quomodo illa Chriſti, *de cathedra Moyſis* poſſeſſoribus, ſententia quicquam, de Sacramentis per malos adminiſtratis conſtituat: niſi illorum mandatum, & prædicationem pro Sacramentis Confeſſioniſtæ habent, quod illis nolim imputare.

ARTICULUS IX.

De Baptiſmo.

DE Baptiſmo docent, quòd neceſſarius ſit ad ſalutem, tanquam ceremonia à Chriſto inſtituta. Et quòd per Baptiſmum offeratur gratia Dei, & quòd infantes ſint baptizandi: & quòd infantes per Baptiſmum Deo commendati, recipiantur in gratiam Dei, & fiant filii Dei, ſicut Chriſtus teſtatur loquens de parvulis in Eccleſia, (M) Matth. 18. *Non eſt voluntas Patris veſtri qui in cælis eſt, ut pereat unus ex parvulis iſtis.*

Damnant Anabaptiſtas, qui improbant baptiſmum infantium, & affirmant infantes ſine baptiſmo & extra Eccleſiam Chriſti ſalvos fieri.

§.I. Re-

§. 1. *Reformatio Art. IX.*

M. CRedimus, quòd *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt introire in regnum Dei.* Johan. 3. v. 5 Et hoc eo modo, quo jam olim Propheta prædixit: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis.* Ezech. 36. v. 25. Ita enim Chriſtus, *ſecundùm miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus S.* Tit. 3 v. 5. Unde & Apoſtolus Petrus ait: *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus S.* Act. 2. v. 38. & Paulus ſibi in converſione dictum ait: *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua.* Actor. 22. v. 16. Hæc ſi admittant, convenimus.

§. 2. *Obſervatio ad Art. IX.*

M. SEntentia à Confeſſioniſtis ex Matth. 18. adducta, parum probat parvulorum ſalutem, niſi illa Chriſti de baptiſmo neceſſariò addatur. Johan. 3. Nam & Calviniſtæ, & Anabaptiſtæ ſuo ſenſu, citra baptiſmum, facilè admittent, pârvulos ſervari poſſe. Deinde advertant Confeſſioniſtæ, Scripturam non docere, quòd commendati Deo per baptiſmum, recipiantur in gratiam; ſed quòd per aquam baptiſmi *mundemur ab inquinamentis, à peccatis abluamur, baptizemur in peccatorum remiſſionem, Spiritu S. in nos effuſo renovemur,* ideoque baptiſmum appellet *lavacrum regenerationis & renovationis.* Loquantur cum Scriptura, & loquentur nobiſcum. Plus aliquid, quàm extrinſecam illa gratiam, in quam recipiantur, regeneratis tribuit. *Gratia enim Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum S. qui datus eſt nobis.* Rom. 5. v. 5.

ARTICULUS X.

De Cœna Domini, & Communione.

DE Cœna Domini docent, quòd cum pane & vino (N) verè exhibeantur corpus & ſanguis Chriſti veſcentibus (O) in cœna Domini.

Hæc in alia editione ſic reperiuntur :

De Cœna Domini docent, quòd corpus & ſanguis Chriſti verè adſint, & diſtribuantur veſcentibus in Cœna Domini : & improbant ſecùs docentes.

§. 1. *Reformatio Art. X.*

CRedimus, quòd *accepit* JESUS *panem, benedixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum, & accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: hic eſt enim ſanguis meus &c.* Matt. 26. v. 26. Quod & Johan. 6. Chriſtus fatetur v. 41. *Ego,* inquit, *ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi.* Et Paulus 1 Corinth. 10 v. 16. *Panis, quem frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt?* ſic ſine inflexione ſententiæ tenendum, & hoc loco etiam convenimus.

§. 2. *Obſervatio ad Art. X.*

O. CUm dicunt, *veſcentibus diſtribuit corpus & ſanguinem*, occultè ſtatuunt adverſus Scripturam, antequam communicantes veſcantur, non eſſe Chriſtum præſentem, adeoque ſummæ pietatis fructum è templis & proceſſionibus tollunt. Cùm Chriſti præſentiâ extra ſolam Communionem ubique ſublatâ, nihil ſit, quod magnoperè languentes animos, affectuſque inflammet. Cauſam ſe tueri ex S. Literis arbitrantur. Cùm Chriſtum ad conſecrationis verba adjeciſſe, tanquam neceſſariam conditionem aſſerunt, *comedite, bibite, hoc facite*, ut ſi hac lege ipſe propter eſum tantùm præſens, neque aliter eſſe conſtitueriт. Sed cum Scriptura pugnant, quæ non dicit: Si comeditis, hoc eſt corpus meum; vel, comedite, hoc erit corpus; ſed *comedite, hoc eſt, corpus*; imò cùm dicit, *bibite*, hanc rationem invitandi adfert: *Eſt* ENIM *ſanguis meus*. Ubi particula *enim* nulla adverſantium arte everti poteſt, quin ideo cenſeatur invitare Chriſtus, quia ſanguinem porrigat.

Deinde ſic manifeſtè evinco: Si antequam biberent Apoſtoli, ſanguis Chriſti non erat præſens: vera utique erat hæc propoſitio, *hic non eſt ſanguis:* & ſimul vera erant hæc verba Chriſti,

Chriſti, *hic eſt ſanguis* : duo igitur contradictoria eodem inſtanti, de eadem re vera erant. Rurſum, cùm bibere non ſit ſolùm in os ſumere, nec ſolùm deglutire, ſed utrumque neceſſariò, idque ſucceſſivè involvat : non poterit Chriſtus niſi in ſumptione ſucceſſivè præſens eſſe. Verum igitur erit, & hoc contradictorium : Chriſtus diviſibili, & non diviſibili modo præſens eſt. Denique ſi in calice tum cùm biberent, tantùm erat præſens : ergo duodecies in cœna, eodem in calice, & præſens erat, & abſens ; præſens cùm biberent : abſens, cùm alter alteri porrigeret. En quæ portenta vos ad planum ſanumque Scripturæ ſenſum nobiſcum revocent. Poſtremò fallit hæc exiſtimatio, quòd propter eſum tantùm præſens ſit, ideoque ut cætera Sacramenta in uſu ſolùm, ita & hoc videatur conſiſtere. Cùm etiam hîc, tanquam hoſtia & oblatio exhibeatur Deo, ut infra videbimus ; & licèt completè in ipſo eſu conſiſteret, tamen ante hunc Chriſtus non minùs præſens ad verba eſſe deberet, quàm in Cana fons in vinum mutari, in deſerto panes multiplicari, priuſquam biberent, aut ederent, debuerint: quamvis ad ſolum potum eſumque eſſent ordinata.

P. Corrigendum quoque ex eadem Scriptura eſt, quod Confeſſio dicit, *cum pane & vino exhiberi corpus & ſanguinem Chriſti.* Verba Dei, non ejuſmodi commenta hominum admittimus. Chriſtus dicit : *Hoc eſt corpus:* vos dicitis : *Hoc eſt panis, & corpus*, adeoque Deum nobis, novo prodigio, impanatum ſiſtitis. An vultis, ut Chriſto obnuntiemus, credamus vobis? Non eſt hîc par ratio, quæ eſt Dei in eadem divina hypoſtaſi hominem ſibi ſubſtantialiter jungentis ; ut ſicut idem poteſt dici Deus & homo, ſic idem poſſit dici panis & Chriſtus. Cælum & terra minus diſſident, quàm iſta inter ſe. Nec poteſtis Chriſtum in pane, tanquam æs in crumena, aut vinum in vaſe collocare. Cùm illa ad continendum ordinata ſint, & ſuperficie tenus ambiant, ac tropicè ſolùm de his dicatur, hoc eſt æs, & hoc vinum ; ſed potiùs ſicut aqua in ſpongia eſt, vel ſpiritus obſidens in corpore, ponitis Chriſtum in pane ; quare ut mihi non licet de obſeſſo dicere corpore, hoc eſt, dæmon : aut de ſpongia, hoc eſt, aqua ; ita nec licet de pane non mutato, *hoc eſt corpus Chriſti.* Quid, quod nec de ipſo humano corpore, cui anima unitur, dicere liceat : *Hoc eſt anima*, & quomodo de pane dices : *Hoc eſt corpus*? Attamen, nuncupari

panem dicitis in Scriptura corpus Chriſti, ut 1 *Cor.* 10. agnoſco; ſed qualem panem Chriſtus expoſuit? *Panem*, ſcilicet, *vivum*, Johan. 6. Et demus etiam proprie panem dici, quod & ſpecies retinet, & panis ante fuit: neque enim alia loquendi ratio, ad exponendum ſubſtantias in rebus mutatas, eſt melior. Sic dicimus lignum combuſtum eſſe cineres, hominem mortuum. Unde & architriclinus dicitur Johan. 2. v. 9. guſtaſſe *aquam vinum factam* Neque Paulus 1 Cor. 10. vobis patrocinatur: quem maximè vos audire cupimus; nam vel hoc, vel priori ſenſu dicens, quòd *panis quem frangerent, ſit participatio corporis*, oſtendit *panem* hunc, vel vivum, vel qui ante fuit, *Chriſti corpus* non minùs rectè *dici*, quàm de hydriis Canæ, *aqua eſt vinum*. De qua etiam rectè dixeris, *aqua, quam biberunt, erat participatio vini*. Quare in obvio hoc ſenſu Scriptura admittenda eſt, & ceſſabit controverſia. Quòd ſi aliter lubeat, non vos, ſed Scriptura debet ferre judicium.

ARTICULUS XI.

De Pœnitentia.

De Pœnitentia docent, quòd lapſis poſt baptiſmum contingere poſſit remiſſiò peccatorum, quocunque tempore, cùm convertuntur. Et quòd Eccleſia talibus redeuntibus ad pœnitentiam impertiri abſolutionem debeat.

Conſtat autem pœnitentia, hoc eſt, converſio impii, propriè his duabus partibus. Altera eſt contritio, hoc eſt, terrores incuſſi conſcientiæ, agnito peccato, in quibus & iram Dei agnoſcimus, & dolemus nos peccaſſe, & peccata deteſtamur ac fugimus, ſicut Joël concionatur: *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum, &c.* Altera pars eſt fides, quæ concipitur ex Evangelio, ſeu abſolutione, & credit propter Chriſtum, certò remitti peccata, & conſolatur conſcientiam, & ex terroribus liberat, (P) de qua fide Paulus loquitur, cùm ait: *Iuſtificati fide, pacem habemus*. Deinde ſequi debent boni fructus pœnitentiæ, hoc eſt, obedientia erga Deum, juxta illud: *Debitores ſumus, non carni, ut ſecundùm carnem vivamus, ſi enim ſecundùm carnem vivetis, moriemini: ſed ſi ſpiritu actiones carnis mortificabitis, vivetis.*

Damnant

Damnant Novatianos, qui nolebant abſolvere eos, qui lapſi poſt baptiſmum, redibant ad pœnitentiam.

Damnant & illos, qui non docent remiſſionem peccatorum per fidem gratis propter Chriſtum contingere; ſed contendunt remiſſionem peccatorum contingere propter dignitatem contritionis, dilectionis, aut aliorum operum, (Q) & jubent dubitare conſcientias in pœnitentia, an conſequantur remiſſionem peccatorum, & affirmant, hanc dubitationem non eſſe peccatum. (R)

Damnant & iſtos, qui canonicas ſatisfactiones docent neceſſarias eſſe ad redimendas pœnas æternas, aut pœnas purgatorii, & ſi fatemur bonis operibus mitigari præſentes calamitates, ſicut Eſaias docet cap. 58. *Frange eſurienti panem tuum, &c. & requiem dabit tibi Dominus ſemper.* Rejiciunt & indulgentias, quæ ſunt condonationes commentitiarum ſatisfactionum. (S)

Damnant & Anabaptiſtas, qui negant ſemel juſtificatos, iterum poſſe amittere Spiritum S. Damnant illos, qui contendunt aliquibus tantam perfectionem in hac vita contingere, ut ne quidem poſsint iterum peccare.

§. 1. *Reformatio Art. XI.*

I. P. Credimus, quòd *cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciat.* Pſalm. 50. v. 19. ſed *reſpiciat ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones ſuos*, Iſa. 66. v. 2. *Cùm enim averterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit judicium & juſtitiam, ipſe animam ſuam vivificabit.* Ezech. 18. v. 27. Deinde credimus, quòd *qui non diligit, manet in morte.* 1 Joan. 3. v. 14.

II. S. Credimus Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus dictum: *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt,* Johan. 20. v. 73. & *quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt & ligata in cœlo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt & ſoluta in cœlo.* Matth. 18. v. 18.

III. S. Credimus quoque verè pœnitenti dictum; *Dominus tranſtulit peccatum tuum: veruntamen quoniam blaſphemare fecisti inimicos Domini, filius qui natus eſt tibi, morte morietur.* 2. Reg. 12. v. 13. & Iſraëlitis: *Dimiſi juxta verbum tuum* (ô Moyſes) *attamen non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum,*

 Num. 14.

Num,14. v.20. Et quòd in judicio, *Vniuſcujuſque opus manifeſtum erit, dies enim Domini declarabit; quia in igne revelabitur, ſi cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet; ſi cujus opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem.* 1 Cor.3. v.13.

IV. Q. Credimus denique, non fruſtra à Chriſto dictum: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda vobis.* Luc. 11. v. 14. aut à Sapiente: *Miſericordia & veritate redimitur iniquitas.* Prov.16. v. 6. Universè quod *momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum, in ſublimitate, æternum gloriæ podus operetur in nobis.* 1 Cor.4. v.17. Per hæc ſi Articulum hunc corrigant, pax erit.

§. 2. *Obſervatio ad Art. XI.*

P. IN pluribus hîc locis S. Scriptura & veritas negligitur, quæ emendatione egent. Multum & hîc, & alibi loquuntur Confeſſioniſtæ, de terrore conſcientiæ incuſſo, quem tamen cum fide, certam ſecuritatem & conſolationem de remiſſis peccatis adferente, in eodem pœnitentiæ actu componunt. Mirum verò eſt, hæc, & extra diſertam Scripturam, tam multis (nam & infra recurrent) tamque confidenter aſſeri, idque in præcipuo fidei ſalutiſque totius fundamento, & noſtræ ſimul ſententiæ, tanquam deſperatiſſimæ opponi, quâ timorem cum fiducia in fideli homine jungimus, atque illud Sapientis Siracidæ inculcamus: *De propitiatione peccati noli eſſe ſine metu, miſericordia enim & ira ab illo citò proximant.* Eccli. 5. v. 5. Profectò, qui ſe peccatorem novit, & licèt *ſe ſtare judicet, metuit tamen ne cadat*, quique Deum non minus credit eſſe infinitè juſtum, quàm miſericordem; qui Chriſtum ſe monentem audit: *Timete eum, qui poteſt & corpus & animam perdere in gehennam.* Matth. 10. qui ipſum Paulum dicentem intelligit: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum, qui enim judicat me, Dominus eſt.* 1. Cor. 9. quomodo certa ſibi poteſt fide perſuadere, quæ fallere non poſsit, peccata ſua dimiſſa eſſe? quomodo ſimul illos ipſos terrores ſuſtinere conſcientiæ, quos Confeſsioniſtæ inferunt? Nam ſi certus eſt de remiſsione, quomodo terretur ex ira Dei jam averſa? aut ſi hanc ſibi credit imminere, quomodo certus eſt de remiſsione? Aut igitur nobiſcum ſentire tenentur, aut hanc certitudinem proſcribere. Quòd ſi ante fidem hic ter-

tor ponatur, credere illos ante fidem neceſſe eſt: namque hic terror Chriſtianæ Pœnitentiæ niſi in fidelem non cadit. Nos extra Scripturam (quam hic ac ſupra Art. V. damus,) nihil adſerimus, & falsò nobis imponitur, quòd *jubeamus dubitare conſcientias de remiſſione.*

(R) Certiſſimi ſumus (arrigite aures animóſque) *Cor contritum Deum non deſpicere ; vivificare nos , ſi avertamur à peccato , & ſi Sacerdotes Dei peccata dimiſerint , dimiſſa eſſe.* Sed an nos rectè contriti, & averſi à peccato ſimus, & ſiquidem verè averſi ſimus, an in eadem pœnitentia ad finem vitæ perſtituri, hoc nobis divina fide revelatum non eſt; ideoque cum Paulo dicere cogimur: *Qui autem judicat me, Dominus eſt*; ille ſolus novit, qui ſint puri corde, atque electi ejus. Quid hîc obſecro S. Literis difforme traditur? At videte cacoëthes adverſantium, vel falli nunquam hac in fide poſſunt, qui ſibi certò remitti peccata credunt: vel aliquando poſſunt; ſi poſſunt, jam certi non ſunt ſe de facto remiſſionem obtinuiſſe: ſi non poſſunt; peccare niſi ſola infidelitate nequeunt: quia quamdiu fidem retinent, etiamſi adulterentur, occidantque cum Davide, non peccant: nam hac fide, remiſſa ſibi peccata certò tenent: aut ſi peccant, jam falſa fides eſt; jam cum Davide (qui infidelitate lapſus legitur,) dicendum lapſis erit: *Peccavi.* Apage igitur tam perverſa de peccatis remiſſis conſolatione, quæ deſtruit veritatem ac ſalutem.

(Q) Damnant verò jure illos, *qui remiſſionem peccatorum per fidem propter Chriſtum gratis negant contingere.* Tales enim Catholici non ſunt. Pia tamen opera fidelium juſtorumque Chriſti meritis innixa, ad peccatorum remiſſionem diſponere, & Chriſti meritis glorioſum, & Scripturæ S. eſt conſentaneum, quam de eleemoſyna, patientia, & dilectione attulimus. Quæ averti nunquam poterit.

(S) Porrò & abſolvendi reſervandique certo ſub onere ſatisfactionis poteſtas, ſive peccata, ſive pœnas his annexas, ſine reſtrictione, Sacerdotibus conceſſa eſt, ut Joh. 20. & Matt. 18. ſatis colligitur. Qui hanc limitant atque indulgendi hanc poteſtatem ſive plenam, ſive reſtrictam proſcribunt, Scripturæ vim faciunt. Errant verò, qui ſatisfactiones canonicas pro æternis pœnis apud Catholicos imperari cenſent.

Denique, non omnem ſemper cum culpa reatum pœnæ dimitti,

mitti, ex S. rurſum Literis 2 Reg. Num. 14. & 1 Cor. 5. certum eſt, ut interpretatione non egeat, ſolumque neceſſe ſit, ut ad mutuam concordiam hæc Auguſtanæ Confeſsioni inſerantur, niſi cum S. Scriptura, & nobiſcum pertinaciter malint pugnare.

ARTICULUS XII.

De Sacramentis.

DE confeſsione peccatorum docent, quòd abſolutio privata in Eccleſiis retinenda ſit, quanquam in confeſsione non ſit neceſſaria delictorum enumeratio. Eſt enim impoſsibilis enumeratio omnium delictorum, juxta illud: ***Delicta quis intelligit?***

§. 1. *Reformatio Art.* 12.

CRedimus ſalubre præceptum Dei eſſe: *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* Jac. 5. v. 16. ut & tempore Apoſtolorum factum, quando *multi credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus ſuos,* Act. 19. v. 18. idque nunc rectè apud *Sacerdotes* fieri, uti & olim hi juſsi ſunt, *diſcernere inter lepram, & lepram,* Johan. 20. v. 25. Deut. 17. v. 8. Ut judicent quæ ſolvenda, quæ retinenda ſint, quibus dictum: *Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt,* Joh. 20. v. 22.

§. 2. *Obſervatio ad Art. XII.*

VIdeant Confeſsioniſtæ, quàm malè neceſſariam negent enumerationem delictorum, quorum peccator conſcius eſt, atque à conſcientia redarguitur. Nemo exigit impoſsibilia, neque ad ignorata quiſquam tenetur. Conſcientia ſat diſertus interpres eſt, quæ hanc lancinant, ſunt detegenda. Læſus vulnus aperit medico, ut curetur. Lepra oſtendenda erat, ut dijudicaretur. Retineri non poteſt, cum ratione, aut dimitti à Sacerdote, quod ab illo non cognoſcitur.

ART. XIII.

ARTICULUS XIII.

De Sacramentis.

DE uſu Sacramentorum docent, Sacramenta inſtituta eſſe non modò, ut ſint notæ profeſsionis inter homines, ſed multò magis, ut ſint ſigna & teſtimonia voluntatis Dei erga nos, propoſita ad excitandam & confirmandam fidem in his, qui utuntur eis. Itaque utendum eſt Sacramentis ita, ut accedat fides, quæ credat promiſsionibus, quæ per Sacramenta exhibentur, & oſtenduntur. Hâc fide accipimus promiſſam gratiam, (T) quam Sacramenta ſignificant, & Spiritum S.

Damnant igitur phariſaicam opinionem, quæ obruit doctrinam de fide, non docet fidem in uſu Sacramentorum requiri, quæ credat propter Chriſtum nobis gratiam dari, ſed fingit homines juſtos eſſe propter uſum Sacramentorum, ex opere operato, (V) & quidem ſine bono motu utentium. (X)

§. 1. *Reformatio ad Art. XIII.*

CRedimus, quæ de baptiſmo ſupra art. 9. Scriptura tradit, & *quòd fides ſit fundamentum rerum ſperandarum*, Hebr. 11. etiam gratiæ ſacramentalis, & *Eunucho* homini adulto neceſſaria fuerint; cui à Philippo dictum: *Si credis ex toto corde, licet baptizari*, Act. 8. v. 37. ſic enim *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum pro illa tradidit, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ, in verbo vitæ*. Eph. 5. v. 25.

V. Credimus, plura à Chriſto ſigna inſtituta, ad quorum uſum gratiam conferat. Sic Apoſtoli *imponebant ſuper illos* (fideles) *manus, & accipiebant Spiritum S.* Act. v. 17. & c. 19. v. 6. de qua confirmatione Paulus 2 Cor. 1. v. 21. *Qui confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus, & qui ſignavit nos. & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris.*

Sic credimus, quòd in Eccleſia ſit *regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis*, 1 Pet. 2. v. 9. In quo populo *ipſe* (Chriſtus) *quoſdam quidem dedit eſſe Epiſcopos, alios Paſtores &c.* Eph. 4. v. 11. alios *Diaconos*, 1 Tim. 3. v 8. Qui ſingulari gratia ad hoc ordinantur per Epiſcopos, ut Timotheus, cui dictum: *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi, cum impoſitione manuum*

Presby-

Presbyterii. 1 Tim.4.v.14. & 1 Tim.1. v. 6. & c.5. v.22. & Tit.1.v.5. Act.6.v.6. & c.13.v.3. & c.14. v. 22.

Sic extremæ Unctionis inſtitutionem credimus. Unde Jacobus: *Infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis erit, remittentur ei.* Jac. 5. v. 14.

Sic de Matrimonio credimus, quòd *Sacramentum hoc magnum ſit in Chriſto & Eccleſia. Relinquet enim homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ.* Eph.5 v.31. *Salvabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione & ſanctificatione, cum ſobrietate.* 1 Tim.2.v.3. *Quod* igitur *Deus conjunxit,* (ſua voluntate & gratia) *homo non ſeparet.* Matt.19. v.6.

Vide de Pœnitentia, quod Art. XI. & XII. propoſitum eſt. Quæ ſi nobiſcum ex S. Literis Confeſſioniſtæ admittant, concordia de Sacramentis eſt.

§. 2. *Obſervatio ad Art. XIII.*

T. IN his Scripturis nos legimus, quòd fide ſolâ, quâ promiſſam in Sacramentis, gratiam apprehendimus, eandem conſequamur, ipſum ſimul opus (quod operatum dicimus, ut ab operantis actione ac merito, rudi voce diſtinguamus)

(V.) Requiritur, hoc eſt, ſigni à Deo inſtituti poſitio, cujus intuitu, & non propter meritum operantis, Deus gratiam ſuſcipienti talem conferat, qualis in S. Literis deſcribitur, quæ animas noſtras, per effuſum in corda Spiritum S. mundet, ac ſanctificet. Quæ fieri abſque fide in adultis ſuſcipientibus nunquam poſſunt, licèt quandoque in conferente deſit; ut ſi quis hæreticus alium ad baptiſmum anhelantem in nomine Chriſti ritu Chriſtiano baptizaret. Quæ par eſt, ut adverſarii nobiſcum amplectantur, & expungant falsò impoſitam Catholicis de neglecta fide, & ſolo opere in uſu Sacramentorum laudato, calumniam.

(X.) Pium motum, ſi in adultis nos negent requirere, turſum fallunt: ſi in infantibus, rationis in his deficiens uſus ſuffragatur. Qui nil intelligunt, piè non poſſunt moveri: fides in intellectu, niſi ratione utente, non movetur: habitu ſolo afficit, non actu, aut aliud ex diſerta Scriptura eſt evincendum.

cendum. Et quis dicat, hominem non credere, aut infidelem eſſe, niſi actu elicito ſemper credat?

Sentient igitur, ſi ſapiunt cum Scriptura & nobiſcum, quæque de reliquis ſacris ſignis gratiam conferentibus ex illa adjecimus, non omittent. Qui enim vel *in uno offendit, omnium reus eſt*. Et certè, non tantùm vi S. Scripturæ à nobis propoſitæ tenentur; ſed etiam Confeſſionis ſuæ, quâ profitentur, *Sacramenta eſſe notas profeſſionis noſtræ, ſigna etiam & teſtimonia voluntatis Dei erga nos propoſita, ad excitandam & confirmandam fidem, his, qui utuntur, ut hac fide accipiant promiſſam gratiam*. Nam hæc omnia in Confirmatione, Pœnitentia, Ordine, Matrimonio, & extrema Unctione reperientur.

ARTICULUS XIV.

De Ordine Eccleſiæ.

DE Ordine Eccleſiaſtico docent, quòd nemo debeat in Eccleſia publicè docere, aut Sacramenta adminiſtrare, niſi ritè vocatus: ſicut & Paulus præçipit Tito, ut *in civitatibus Presbyteros conſtituat*.

§. 1. *Reformatio Art. XIV.*

CRedimus præterea Epiſcopos eſſe, quibus cum regimine Eccleſiæ, poteſtas hæc data, dictumque: *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Act. 20. v. 28. Et Epiſcopo dictum eſt: *Ne adverſus Presbyterum accuſationem recipias, niſi ſub duobus, & tribus teſtibus*. 1 Tim. 5. ideoque Presbyterum ſubjectum.

Epiſcopum Præpoſitum eſſe oportet, non minùs, quàm om *lex umbram habens futurorum*, (Hebr. 10. v. 1.) Pontifices præfecit, quibus inferior clerus, aliique ſubeſſent, ut *ſi quis ſuperbiret nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtraret Domino, decreto judicis moreretur*. Deut. 17. v. 12.

Sunt & illi ſuo à profanis hominibus charactere Ordinis diſtincti, dicente Paulo: *Qui unxit nos, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris*. 2 Cor. 1. v. 22. *Nemo igitur ſibi ſumit honorem, niſi qui vocatus à Deo, tanquam Aaron*. Hebr. 5. v. 4.

§. 2. Ob-

§. 2. *Obſervatio ad Art. XIV.*

QUæ breviter confeſſio, hæc paulò explicatiùs per S. Scripturam proponimus, nihil enim emendandum habet, ſi permittat Epiſcopis, *ut corrigant, & conſtituant Presbyteros, ſicut*, inquit Paulus Tito c. 1. v. 5. *Ego conſtitui tibi* : qui & Epiſcopos ſucceſſores, & Presbyteros inſtituit, & hos illis ad correctionem, & judicium ſubjecit; ut altioris illis dignitatis poteſtatiſque gradus neceſſariò ſit concedendus. Neque hæc inſtitutio profano Magiſtratui, aut vulgo competit; cùm per impoſitionem manuum, nec ab aliis, quàm Apoſtolis, vel Epiſcopis facta legatur, ut locis art. 13. ſupra citatis invenies. Rurſum diſcere à ſacro hoc ordine ad profanos non licet; cùm à Spiritu S. tales uncti ſignatique (ut loquitur Scriptura) ſint. Quæ niſi Confeſſioniſtæ nobiſcum admittant, ab orthodoxa veritate, & Scripturæ ſententia deflectent.

ARTICULUS XV.

De ritibus Eccleſiæ.

DE ritibus Eccleſiaſticis, qui ſunt humanâ authoritate inſtituti, docent ritus illos ſervandos eſſe, qui ſine peccato ſervari poſſunt, & ad tranquillitatem & bonum ordinem in Eccleſia conducunt, ut certæ feriæ, certæ cantiones piæ, & alii ſimiles ritus.

Sed de hoc ipſo genere docent, non eſſe onerandas conſcientias ſuperſtitioſis opinionibus, hoc eſt, non eſt ſentiendum, ordinationes illas humanas eſſe juſtitiam coram Deo, aut remiſſionem peccatorum mereri, aut cultus neceſſarios eſſe ad juſtitiam Evangelii. Sed ſentiendum eſt, quòd ſint res adiaphoræ, quæ extra caſum ſcandali omitti poſſint. Sed illi peccant, qui cum ſcandalo eas violant, ut qui ſuarum Eccleſiarum tranquillitatem temerè perturbant.

Rejiciuntur igitur traditiones, quæ ſine peccato non poſſunt obſervari, ut traditio de cœlibatu. Rejicitur & impia opinio de traditionibus & votis, in qua fingitur cultus humanâ authoritate excogitatos mereri remiſſionem peccatorum, eſſe

ſatiſ-

ſatisfactiones pro peccatis &c. Cujuſmodi falſæ perſuaſiones de votis, de certis jejuniis &c. in Eccleſia ab indoctis ſparſæ ſunt.

§. 1. *Reformatio Art. XV.*

Credimus, ut ſupra, *Epiſcopos, quos poſuit Spiritus S. ut regerent Eccleſiam,* Act. 20. ab eodem in regimine dirigi, promittente Chriſto: *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Joh. 16. v. 13. *Et qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Luc. 10. v. 16. Denique *ſi quis Eccleſiam non audierit, ſit ſicut ethnicus & publicanus.* Matt. 18. v. 17. Quare attendite ad illos, *qui ſedent ſuper cathedram, & quæcunque dixerint vobis, facite.* Si verò, ut Pharisæi, improbi ſint, *ſecundùm opera illorum nolite facere.* Matt. 23. v. 2. Modum igitur ritumque adminiſtrandi Sacramenta, (ubi illum S. Scriptura non præſcribit,) tenemur, ab illis imperatum, exequi.

§. 2. *Obſervatio ad Art. XV.*

Ex his Scripturis apparet, ritus ex natura ſua adiaphoros, tunc ſolùm obligare, cùm ab Eccleſia imperantur, nec liberè hoc in caſu omitti poſſe. Prudenter verò illos imperari, iſta nos ſatis harmonia & conformitas Catholicæ docet Eccleſiæ, quæ toto orbe diffuſa, uno ubique, in America ſimul & Europa, occurrit vultu: cùm Proteſtantium Eccleſiæ, tanta ſacrorum diſſimilitudine ac difformitate ſe offerant; ut alicubi per ſuperiorem Saxoniam, (ut unam ſolùm nationem memorem,) parum à Catholicis, per inferiorem verò, in vicinis nobis locis, vix à Calviniſtis diſſideant, & in templis non alio habitu, quàm in diverſorio Prædicantes appareant, templa etiam, præter ſcamna aliquot, & ſuggeſtum unum, nihil ab hoſpitali domo diverſum habeant, ſola tantùm oratio Prædicantis per horam audiatur, pſalmis pauculis vernaculis prologum & epilogum hujus actionis facientibus. Qua ſemel, aut iterum in ſeptimana repetita, tota ratio pietatis & ſacrorum abſolvitur.

Ex quo rituum neglectu, ſenſim locis pluribus Lutheraniſmum in Calviniſmum degeneraſſe cernimus, quòd plebs diſcri-

diſcrimen non ſentiat, & qui ſemel eſt devius, ad majorem pronus libertatem feratur. Quare ſi adverſarii ſuis rebus ac divino honori conſultum velint, nobiſcum, juxta Scripturam, vereri orthodoxæ Eccleſiæ, in præſcriptis antiquiſſimis jam ritibus præſtent obedientiam, & pax erit.

De merito actionum noſtrarum, quibus ritus adhibeatur, ſuo loco videbimus, ubi & de cœlibatu, votis, jejuniis, &c. quæ universè non ſunt traditiones humanæ, ſed conſilia pleraque divina.

ARTICULUS XVI.

De rebus civilibus.

DE rebus civilibus docent, quòd legitimæ ordinationes civiles ſint bona opera, & ordinationes Dei, ſicut Paulus teſtatur: *Quæ ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt.* Docent igitur, quòd Chriſtianis liceat Magiſtratus gerere, exercere judicia, judicare res ex Imperatoris, & aliis præſentibus legibus, ſupplicia, jura conſtituere, jure bellare, militare, lege contrahere, tenere proprium, jusjurandum Magiſtratibus poſtulantibus dare, contrahere legitima conjugia, artes probatas legibus exercere.

Damnant Anabapriſtas, qui interdicunt hæc civilia officia Chriſtianis.

Damnant & illos, qui Evangelicam perfectionem collocarunt in deſertione civilium officiorum, cùm Evangelica perfectio ſit ſpiritualis, hoc eſt, conſiſtat in motibus cordis, in timore Dei, fide, dilectione, obedientia. Evangelium enim concionatur de quadam æterna juſtitia cordis: nec abolet interim politiam aut œconomiam: ſed maximè poſtulat eas in hac vita corporali conſervari, tanquam ordinationes Dei, & in talibus ordinationibus exercere charitatem: itaque Chriſtiani neceſſariò debent obedire præſentibus Magiſtratibus ac legibus, niſi cùm jubent peccare, tunc enim *magis debent obedire Deo, quàm hominibus.* Actor. 4.

§. I. Re-

§. 1. *Reformatio Art. XVI.*

CRedimus, quòd *non ſit poteſtas, niſi à Deo, & quòd miniſtri Dei ſint* Superiores, Rom. 13. v. 1. Attamen rectè Chriſtum, *cùm venturi eſſent Iudæi, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugiſſe in montem.* Joh. 6. v. 15. Et rectè feciſſe Apoſtolos, *qui relictis omnibus, ſecuti ſunt eum,* Luc. 5. v. 11. minùs rectè adoleſcentem, qui invitatus, *ut relinqueret omnia, ſi vellet eſſe perfectus, triſtis abiit, quia erat habens multas poſſeſſiones.* Matth. 19. v. 21. Bona igitur quidem civilis poteſtas, & poſſeſſio; ſed meliùs eſt, his bonis obnuntiare, modò ex Dei amore fiat. Nam *ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* 1 Cor. 13. v. 3.

§. 2. *Obſervatio ad Art. XVI.*

PErfectio Evangelica civili vita potior eſt, atque ita ſpiritualis, & in animo ſita; ut tamen externa noſtra opera etiam ex Chriſti inſtituto moderentur. An ignoramus, quæ Chriſtus perfectionis opera in Judicio cenſeat, cùm præmium & regnum largitur? *Venite,* ait, *benedicti Patris mei, poſſidete regnum.* Quare? *Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare, &c.* En, quod ſuaſum adoleſcenti erat, ut *daret pauperibus,* hìc regnum meretur. Faciunt igitur & externa opera ad perfectionem: nec ſine internis virtutum operibus, à quibus proveniunt, piè conſtanterque exercentur. Perfectio verò Evangelica, & hæc, & illa includit: œconomiam & politiam non negligit, ſed in delectu cæteris tantùm perfectioribus poſthabet. *De quibus infra* Tr. 2. Art. 6. & 7. *diſtinctiùs erit diſſerendum.*

ARTICULUS XVII.

De Judicio Dei.

ITem docent, quòd Chriſtus apparebit in conſummatione mundi ad judicandum, & mortuos omnes reſuſcitabit, & hominibus piis dabit vitam æternam, & gaudia perpetua.

 Impios

Impios autem homines & diabolos condemnabit, ut ſine fine crucientur.

Damnamus Anabaptiſtas, qui nunc Judaicas opiniones ſpargunt, fingunt ante reſurrectionem, pios regna mundi occupaturos eſſe, ubique deletis, aut oppreſſis impiis. Scimus enim, quòd pii debeant obedire præſentibus Magiſtratibus, non eripere eis imperia, non diſſipare politias per ſeditionem, quia Paulus præcipit: *Omnis anima Magiſtratui ſuo ſubdita ſit.* Scimus item, quòd Eccleſia in hac vita ſubjecta ſit cruci, & primùm poſt hanc vitam glorificabitur: ſicut Paulus inquit: *Oportet nos ſimiles fieri imagini filii Dei.* Quare Anabaptiſtarum amentiam & diabolicum furorem prorſus damnamus, & execramur.

Damnamus & Origeniſtas, qui finxerunt diabolis & damnatis finem pœnarum futurum eſſe.

Obſervatio ad Art. XVII.

NIhil in hoc articulo eſt, quod reformatione egeat. Hîc igitur concorditer acquieſcimus.

ARTICULUS XVIII.

De libero arbitrio.

DE libero arbitrio docent, quòd humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem juſtitiam, & diligendas res rationi ſubjectas; ſed non habet vim ſine Spiritu S. efficiendæ juſtitiæ ſpiritualis: quia Paulus dicit: *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei* Et Chriſtus dicit: *Sine me nihil poteſtis facere.* Efficitur autem ſpiritualis juſtitia in nobis, cùm adjuvàmur à Spiritu S. Porrò Spiritum S. concipimus, cùm verbo Dei aſſentimur, ut nos fide in terroribus conſolemur: ſicut Paulus docet, cùm ait: *Vt promiſſionem Spiritus accipiatis per fidem.* Hæc totidem verbis dicit Auguſtinus libro tertio Hypognoſticon.

Eſſe fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus habentibus quidem judicium rationis, non per quod ſit idoneum in iis, quæ ad Deum pertinent, ſine Deo, aut inchoare, aut certè peragere; ſed tantùm in operibus vitæ præſentis,

tam

tam bonis, quàm malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id eſt, velle laborare in agro, velle manducare, & bibere: velle habere amicum; velle habere indumenta; velle fabricare domum, uxorem velle ducere, pecora nutrire, artem diſcere diverſarum rerum bonarum, velle quidquid bonum ad præſentem pertinet vitam, quæ omnia non ſine divinâ gubernatione ſubſiſtunt, imò ex Deo & per ipſum ſunt, & eſſe cœperunt. Malis verò dico, ut eſt: velle idolum colere: velle homicidium &c. Hæc Auguſtini ſententia præclarè docet, quid libero arbitrio tribuendum ſit, & diſertè diſcernit civilem diſciplinam, ſeu exercitia rationis humanæ à ſpiritualibus motibus, vero timore, patientiâ, conſtantiâ, fide, invocatione, in aſperrimis tentationibus, inter inſidias diaboli, in terroribus peccati. In his certè opus eſt regi, nos, & juvari à Spiritu S. ſicut Paulus inquit: *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram.*

Damnamus Pelagianos, & ſimiles, qui docent, quòd ſine Spiritu S. ſolis naturæ viribus poſsimus Deum ſuper omnia diligere, legem Dei facere quoad ſubſtantiam actuum. Hæc ſomnia ingenuè & neceſſariò reprehendimus, obſcurant enim beneficia Chriſti. Nám ideo proponitur in Evangelio mediator Chriſtus, & promittitur miſericordia, quia humana natura non poteſt ſatisfacere legi, ſicut Paulus teſtatur: cùm ait Rom. 8. *Senſus carnis inimicitia eſt adverſus Deum, legi enim Dei non eſt ſubditus, ac ne poteſt quidem ſubjici.* Quanquam enim externa opera aliquo modo poteſt efficere humana natura per ſeſe, poteſt enim continere manus à furto, à cæde, tamen interiores motus, ut verum timorem, fiduciam, patientiam, caſtitatem non poteſt efficere, niſi Spiritus S. gubernet, & adjuvet corda noſtra. Et tamen in hoc loco illud etiam docemus, Dei mandatum eſſe, ut etiam carnales coërceantur diligentiâ rationis, & illa civilii diſciplina, ſicut Paulus inquit: *Lex eſt pædagogus in Chriſtum.* Item: *Lex eſt injuſtis poſita.*

§. 1. *Reformatio Art* XVIII.

Redimus, etiam de actibus ſupernaturalibus locutum Moyſen: *Teſtes invoco hodie cœlum & terram, quòd propoſuerim obis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem.* Elige

ergo vitam, ut & tu vivas, & ſemen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, & illi adhæreas. Deut. 30. v. 19. Et Joſue: *Sin autem malum vobis videatur, ut Domino ſerviatis, optio vobis datur; eligite hodie quod placet, cui potiſſimùm ſervire debeatis.* Joſ. 24. v. 15. *Quiſquis es, reliquit te Deus in manu conſilii tui, adjecit mandata & præcepta ſua, ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te &c.* Eccli. 15. v. 14. *Non quòd ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* 2 Cor. 3. v. 5. & *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram.* Rom. 8. Attamen: *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem: Dei enim adjutores ſumus.* 1 Cor. 3. v. 8. Unde idem Paulus inquit: *Abundantiùs omnibus laboravi non ego autem, ſed gratia Dei mecum,* 1 Cor. 15. v. 10. *De reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, juſtus judex.* 2 Tim. 4. v. 8. Quia non fuit ex his, quibus dictum: *Vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis, ſicut & patres veſtri.* Act. 7. v. 51. Ergo Deus in actibus ſupernaturalibus aliquid humanæ libertati, divinæ gratiæ cooperanti, tribuit.

§. 2. *Obſervatio ad Art. XVIII.*

HIc articulus, uti prior, ſano veteris & Catholicæ Eccleſiæ ſenſu admitti poſſet, niſi Lutherani alio acciperent, quì ex *Inſtit. Diet.* de libero arbitrio patet. Sed Scriptura pro libertate in actibus etiam ſupernaturalibus tam diſerta eſt, ut mirum ſit, quâ conſcientiâ illam poſſint diſſimulare, & uni Deo in his tribuere omnia, quo hominem in illis exequendi ſollicitudine, & conatu liberent, omnemque, ſive quid boni agatur, ſive omittatur, in Deum refundant originem, quod eſt alios in deſperationem conjicere, cùm videant ſe, etiamſi velint, Deum amare, peccatum odiſſe ac fugere non poſſe; alios in confidentiam erigere, quòd fide ſola freti, Deo in nobis rectè ſupernaturalia agendi curam tradant, omnes ad ſupinam in divinis operibus provocare negligentiam, Deo totam hanc moderationem ſibi vendicante. Si nobis in ſervitio, & cultu Dei, offertur *electio,* & *optio,* ſi in bono *adjutores* Dei ſumus, ſi *gratia Dei nobiſcum operatur,* nunquid & noſtræ nobis partes, cum plena libertate deferuntur? Tantùm videndum eſt, ne hac libertate malè utamur, atque ex iis ſimus, quibus ob repudiatam Dei gratiam dictum: *Vos ſemper Spiri*

Spiritui S. reſiſtitis. Act.7.v.51. Non enim gratia Dei neceſſitat; ſed ut acceptari poteſt, ita & repudiari. Hoc ſi benè Confeſſioniſtæ obſervent, in reliquis prona erunt ad conſenſionem omnia.

ARTICULUS XIX.

De cauſa peccati.

DE cauſa peccati docent, quòd tametſi Deus creat & conſervat naturam; tamen cauſa peccati eſt voluntas malorum, videlicet diaboli & impiorum hominum, quæ avertit ſe à Deo ad alias res, contra mandata Dei. Ideo Chriſtus inquit de diabolo: *Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur.*

Obſervatio ad Art. XIX.

QUemadmodum in hujus articuli verbis nobiſcum ſentiunt, ita ut in omnibus conveniant, ex animo precamur.

ARTICULUS XX.

Fidei & operum doctrina plenior.

A.) QUòd adverſarii criminantur nos, negligi à nobis doctrinam de bonis operibus, manifeſta calumnia ſt. Extant enim libri noſtrorum, in quibus piè & utiliter ocent de bonis operibus, quæ opera in qualibet vocatione eo placeant. Cumque in Eccleſiis magnum olim fuerit entium de præcipuis operibus, ſcilicet de exercitiis fidei, de laude politicorum operum, & magna ex parte conſumeretur omnes conciones in laudibus traditionum humanam, in Feriis, Jejuniis, Monachatu, Fraternitatibus, Peregrinationibus, Cultu Sanctorum, Roſariis, & aliis inutilibus ribus ornandis: nunc Dei beneficio revocatur Eccleſia veros, & utiles cultus, quos Deus probat & requirit. Procetæ graviſſimis concionibus deplorant hanc Eccleſiæ caitatem, quòd veris cultibus extinctis, in Eccleſia regnaæ ſint humanæ ceremoniæ, & impia fiducia ceremonian. Et ab hoc errore revocant Eccleſiam ad veros cultus,

ad verè bona opera. Quid poteſt dici gravius concione il[la] Pſalmi 49. *Deus Deorum Dominus locutus eſt, & vocavit terram* Hic Deus univerſo generi humano concionatur, damnat cæremoniarum fiduciam, & alios cultus proponit, & ſignificat ſe valde iraſci his, qui in Eccleſia ita prædicant cæremonias ut veros cultus obruant. Similes extant multæ conciones in Prophetis, ut Eſaiæ 58. Et Zachariæ 7. Et Micheæ 6. Et Oſeas clamitat: *Miſericordiam volo, non ſacrificium, & notitiam Dei plus quàm holocauſta.* Nec obſcurum eſt, multos bonos
4 & doctos viros etiam ante hanc ætatem deſideraſſe doctrinam de conſolatione conſcientiarum, & de operum diſcrimine meliorem. Debet enim in Eccleſia extare utraque doctrina, videlicet Evangelium de fide, ad erudiendas & conſolandas conſcientias: debet etiam proponi, quæ ſint verè bona opera, qui ſint veri cultus Dei. Sed adverſarii, quia corrumpunt doctrinam de fide, primùm non poſſunt conſcientiis firmam conſolationem proponere. Jubent enim dubitare de remiſſione peccatorum. Et tamen poſtea jubent quærere remiſſionem per propria opera, affingunt Monachatus & alia opera. Deinde abolent & veros cultus; nam invocatio & cætera ſpiritualia exercitia excutiuntur animis, non confirmatis fiduciâ Chriſti. Præterea nec placent Deo opera ſecundæ tabulæ, niſi fides accedat; quòd propter Chriſtum placeat hæc inchoata & imperfecta obedientia. Tertiò, obſcurant opera à Deo mandata, & longè anteferunt humanas traditiones. Has ornant ſpecioſiſſimis titulis: Vocant eas, Evangelicam perfectionem. Interim de officiis vocationis, Magiſtratu, Conjugio, ita frigidè docuerunt, ut multi graves viri dubitaverint, an hæc vitæ genera placerent Deo. Itaque Concionatores noſtri, bono ſtudio, utrumque doctrinæ genus illuſtraverunt. Proponunt Evangelium de fide, & addunt piam doctrinam de operibus.

Obſervatio ad Art. XX.

(A.) NOn calumniantur, ſed veritatem tradunt, qui docent vos malè de bonis ſentire operibus. Veſtra hæc verba ſunt art. 6. *Tanta eſt infirmitas humanæ naturæ, ut nemo legi poſſit ſatisfacere.* Et hoc ipſo art. 20. §. quarto reperitur. *In tanta infirmitate, & immundicie naturæ, Sancti non ſatisfaciunt legi.*

legi. Quod manifeſtè verbo Dei adverſatur, cùm & in veteri Teſtamento David, Jôſias, 3 & 4 Reg. Elizabeth & Zacharias Luc. 1. ſatisfeciſſe legantur, & lex Chriſti longè illâ mitior ſit, ut hîc part. 2. §. 2. probamus. Quid verò apud vos ſit, legi non poſſe ſatisfieri, ex *Inſtit. Catecheticis Dieterici* veſtri patebit. De bonis operibus ſic habet: *Nihil ad juſtificationem & ſa- " lutem noſtram bona opera coram Deo merentur, tum quia parti- " bus, tum gradibus ſunt imperfecta.* Partibus: *quia multa bona " omittimus, quæ lex jubet, multa mala facimus, quæ lex prohibet, " ſemper enim caro concupiſcit adverſus Spiritum.* Gal. 5. v. 17. " Gradibus: *Quia etiam Sanctiſſimorum opera ſunt immundities.* " Eſa. 64. v. 6. *Et ſtercora.* Phil. 3. v. 8. *Imperfecta autem opera " non modò nihil merentur, ſed etiam in judicio Dei damnantur. " Maledictus omnis, qui non manſerit in omnibus.* Deut. 27. v. 26. Hæc veſtra doctrina eſt, quodque mirum eſt, ex ejuſmodi Scripturæ locis, quæ nihil dictorum adſtruant, cùm Paulus agat de lucta carnis non peccato, idemque res fluxas mundi ſtercora vocet, Eſaias, & lex de prævaricatoribus diſſerant. Quocirca cùm hinc bona commendatis opera, indeque tot ſingula defectibus inquinari ſtatuitis, deſtruitis manu unâ, quod altera ædificatis. Nam quis neget, & vos, & Deum ipſum, hæc averſari, ac damnare opera, quando omne averſatur & damnat peccatum? Aut igitur hæc opera inquinata non ſunt, aut Deus omne non averſatur peccatum. Qua enim mente, aut vos, aut Deus hæc opera præcipit, commendat, exigit; quæ impoſſibile eſt homini ſine peccato non perpetrare? Aut ſi illa tantùm præcipit, quæ perfecta ſunt: ad iſta utique imperfecta nemo tenetur; quia, ut dicitis, præcepta non ſunt: neque ad hæc, quæ præcipiuntur, quiſquam tenebitur, quia ad impoſſibile non datur obligatio.

Rurſum non calumniantur, qui vos externa perfectionis [opera], tantopere à Chriſto & Apoſtolis commendata, de quibus nos infra p. 2. §. 2. n. 2. aliqua recenſemus, ab ipſo etiam extremo Judice ſingulariter numeranda, Matt. 25. v. 35. & 42. [aje]r negligere, cùm ita ad ſolam fidem juſtificationis & ſalutis [no]ſtræ curam traducitis homines, ut bona opera hinc propria, tanquam *immunditia & ſtercora* habeantur: *cœlibatus, jejunia &c.* inter *inutiles cultus, traditiones humanas, & impia [ſp]eciæ ceremonias numeretis.*

(B.) At verò longè manifeſtior hæc calumnia eſt, ſi in

 Roma-

Romanos detorqueatur, quòd *jubeant de remiſſione peccatoru dubitare.* Jubemus per merita Chriſti, certiſſimam Dei ſpe rare miſericordiam, ut quæ ſibi nixos nunquam fallat, verè pœnitentibus ſemper peccata remittat. Sed vera n fide credere, veréque pœnitere, quamvis morali certitud ne poſſimus aſſequi, revelatione tamen divina nomini con ſtat. Unde timor Domini, qui hinc fragilitatem noſtram inde divinam juſtitiam reſpicit, in mentibus noſtris exiſti Quem timorem Dei Confeſſioniſtæ per ſuam fiduciam mal excludunt; nam Deum, quem certus ſum, mihi peccata re miſiſſe, timere non poſſum ultorem; cùm quod remittit, no plectat.

Iterum falſum eſt, *quòd jubeamus remiſſionem peccatorum quærere, per propria opera:* cùm hanc (ut infra ex Trident.) gra tis fieri doceamus, niſi fortè intelligant hominem fidelem per opera bona ſe diſponere ad talem remiſſionem: aut et iam remiſſionem pœnæ bonis operibus obtinere. Ita enim ſentimus.

Tertiò falſum eſt, & manifeſtiſſima calumnia, *quòd vero cultus aboleamus: invocatio, & cætera ſpiritualia exercitia ex cutiantur animis &c.* His enim operibus internis virtutum, ad eò omnem vim religionis tribuimus, ut niſi ab his diriga tur, imperetur, & cohoneſtetur externum quodcunque pie tatis opus, nullum omninò ſit: dicimúſque cum Paulo: *Etiam ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem no habuero, nihil mihi prodeſt.* 1 Cor. 13. Quæ tamen charitas tun inprimis eminet, cùm propter Chriſtum relinquit domum uxorem &c. pauperémque ac cælibem vitam agit, hoc eſt opera maximè ardua aggreditur. Hæc igitur dum lauda mus, præ magiſtratu, conjugio &c. non tam externa opera quàm majorem in charitate perfectionem, cum Chriſto Matt 19. extollimus. Quæ in ſequentibus *de fide, & operibus* magi patebunt.

PARS I.

De fide.

PRimùm igitur de Fide & Juſtificatione ſic docent, Chri ſtus aptè complexus eſt ſummam Evangelii, cùm Luca ultimo

ultimo jubet *prædicari in nomine ſuo pœnitentiam & remiſſionem peccatorum.* Nam Evangelium arguit peccata, & requirit pœnitentiam, & ſimul offert remiſſionem peccatorum propter Chriſtum, gratis, non propter noſtram dignitatem. Et ſicut univerſalis eſt pœnitentiæ prædicatio, ita & promiſſio gratiæ univerſalis eſt, & omnes credere jubet & accipere beneficium Chriſti; ſicut Chriſtus inquit: *Venite ad me omnes, qui onerati eſtis.* Et Paulus ait: *Dives eſt in omnes, &c.* Quanquam igitur contritio aliqua, ſeu pœnitentia, neceſſaria eſt, tamen ſentiendum eſt, donari nobis remiſſionem peccatorum, & fieri nos ex injuſtis juſtos, id eſt, reconciliatos ſeu acceptos, & filios Dei gratis, propter Chriſtum, non propter dignitatem contritionis, aut aliorum operum præcedentium, aut ſequentium. Sed fide hoc beneficium accipiendum eſt, qua credere nos oportet, quòd propter Chriſtum nobis donentur remiſſio peccatorum, & juſtificatio. Hæc ſententia firmam conſolationem perterrefactis mentibus affert. Et quàm neceſſaria ſit Eccleſiæ, peritæ conſcientiæ facilè judicare poſſunt. Et nihil habet abſurdi, nihil perplexum, nihil ſophiſticum. Non eſt hîc opus diſputationibus de Prædeſtinatione, aut ſimilibus. Nam promiſsio eſt univerſalis, & nihil detrahit operibus, imò exuſcitat ad fidem, & verè bona opera; nam remiſsio peccatorum transfertur à nobis operibus ad miſericordiam, ut ſit beneficium certum, non quòd nos nihil agamus, ſed multò magis, ut ſciamus, quomodo placeat Deo noſtra obedientia in tanta infirmitate noſtra. Hanc ſententiam, qua & illuſtratur honos Chriſti, & piis mentibus conſolatio dulciſsima & firmiſsima proponitur, quæ veram miſericordiæ divinæ cognitionem continet, & veros cultus & æternam vitam parit, aſpernari ac damnare, pluſquam Phariſaica cæcitas eſt. (D.) Olim cùm hæc conſolatio non proponeretur, multæ pavidæ conſcientiæ mederi ſibi conabantur operibus: alii confugiebant ad monaſticam vitam: alii alia opera eligebant, quibus mererentur remiſsionem peccatorum & juſtificationem. Sed nulla eſt firma conſolatio præter hanc doctrinam Evangelii, quæ jubet credere, quòd gratis nobis propter Chriſtum donentur remiſsio peccatorum, & juſtificatio. Eſtque hæc tota doctrina comparata ad verum illud certamen perterrefactæ conſcientiæ.

Sed addemus aliquot teſtimonia. Paulus Rom. 3. *Juſtificamur*

mur gratis ipſius gratia, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorem, per fidem in ſanguine ſuo.

Roman. 4. *Ei autem, qui non operatur, credit autem in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam.*

Epheſ. 2. *Gratiâ ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur.* In his ſententiis & ſimilibus: diſertè docet Paulus, gratis nobis donari remiſſionem peccatorum & juſtificationem, non propter noſtrorum operum dignitatem. Et in capite quarto ad Romanos, copioſe diſputat, quare hac conſolatione nobis opus ſit. Si enim promiſſio penderet ex dignitate noſtrorum operum, fieret incerta. Ut igitur adverſus terrores peccati & mortis habeamus certam & firmam conſolationem, & fides conſiſtere poſſit, neceſſe eſt eam ſola miſericordia niti, & non noſtra dignitate. Propterea Paulus inquit: *Ideò ex fide ſecundùm gratiam, ut ſit firma promiſſio.* Neque enim opponi judicio Dei poſſunt opera noſtra, juxta illud: *Si iniquitates obſervaveris, quis ſuſtinebit?* Ideoque mediator nobis datus eſt Chriſtus, nec transferendus eſt ejus honos in noſtra opera.

Cùm igitur dicimus: *Fide juſtificamur*, non hoc intelligimus, quòd juſti ſimus propter ipſius virtutis dignitatem. Sed hæc eſt ſententia, conſequi nos remiſſionem peccatorum, & imputationem juſtitiæ per miſericordiam propter Chriſtum. Verùm hæc miſericordia non poteſt accipi niſi de fide: & fides hic non tantùm hiſtoriæ notitiam ſignificat, ſed ſignificat credere promiſſioni miſericordiæ, quæ nobis propter mediatorem Chriſtum contingit. Et cum hoc modo fides intelligitur de fiducia miſericordiæ, non diſſentiunt inter ſe Jacobus & Paulus. quòd enim inquit Jacobus: *Dæmones credunt & contremiſcunt*, intelligit fidem de notitia hiſtoriæ, hæc non juſtificat. Nôrunt enim hiſtoriam etiam impii ac diaboli. Paulus verò, cùm inquit: *Fides reputatur ad juſtitiam* &c. loquitur de fiducia miſericordiæ promiſſæ propter Chriſtum: eſtque ſententia: homines juſtos pronuntiari, id eſt, reconciliari, per miſericordiam, non propter dignitatem propriam: ſed hanc miſericordiam promiſſam propter Chriſtum, oportere fide accipi. Jam bonas mentes nihil offendet novitas hujus Paulinæ figuræ: *Fide juſtificamur*, ſi intelligant propriè de miſericordia dici, eámque veris & neceſſariis laudibus ornari. Quid poteſt enim eſſe gratius

tiùs conſcientiæ afflictæ ac pavidæ, in veris doloribus, quàm audire, hoc eſſe mandatum Dei, hanc eſſe vocem ſponſi Chriſti, ut ſtatuant certò donari remiſsionem peccatorum, ſeu reconciliationem, non propter noſtram dignitatem, ſed gratis per miſericordiam, propter Chriſtùm, ut beneficium ſit certum. Significat autem juſtificatio in his Pauli ſententiis, remiſsionem peccatorum, ſeu reconciliationem, ſeu imputationem juſtitiæ, hoc eſt, acceptationem perſonæ.

Nec afferimus novum dogma in Eccleſiam. Nam hanc de fide doctrinam Scriptura copioſè tradit: & Paulus hunc locum præcipuè tractat in aliquot epiſtolis. Et docent idem S. Patres. Ecce enim inquit Ambroſius de vocatione gentium: *Vileſceret redemptio ſanguinis Chriſti, neč miſericordia Dei humanorum operum prærogativa ſuccumberet, ſi juſtificatio, quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, ut non munus largientis, ſed mercès eſſet operantis.* Et multæ ſunt integræ, hac de re, apud Auguſtinum, diſputationes; hujus hæc ſunt verba: *Quandoquidem per legem oſtendit homini infirmitatem ſuam, ut ad ejus miſericordiam per fidem confugiens, ſanaretur. Dictum eſt enim, quòd legem & miſericordiam in lingua portet: Legem ſcilicet, quâ reos faciat ſuperbos; Miſericordiam verò, quæ juſtificet humiliatos. Iuſtitia ergò per fidem Ieſu Chriſti in omnes, qui credunt,* &c.

Et Synodus Milevitana ſcribit: *Nónne ſatis oſtenditur hoc agi eſſe per legem, ut peccatum cognoſceretur, & ſic adverſus victoriam peccati ad divinam gratiam, quæ in promiſſionibus propoſita, conjungeretur, ut ad liberationem quærerentur promiſſiones Dei, & incipiat eſſe in homine juſtitia, non ſua, ſed Dei.*

§. I. *Reformatio Art.* XX. *De Fide.*

CRedimus etiam, quòd *Timor Domini ſit fons vitæ.* Prov. 14. v. 27. & quòd ſit *initium ſapientiæ.* Prov. 1. & quòd *pellat peccatum.* Eccli. 1. v. 27. & quòd *illa, quæ ſecundùm Deum eſt triſtitia, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operetur.* 1 Cor. & quòd *ſpe ſalvi facti ſimus.* Rom. 8. v. 24. ut & *charitas operit multitudinem peccatorum.* 1 Pet. 4 v. 8. *Scimus* enim, *quoniam de morte translati ſumus ad vitam, quoniam diligimus fratres, qui non diligit fratrem, manet in morte.* 1 Joh. 3. v. 14. & ſi *habuerit omnem fidem, ſine charitate nihil eſt.* 1 Cor. 13. v. 2. Ex *fide* enim quidem *ſpem juſtitiæ exſpectamus, ſed quæ per charitatem operatur*

peratur. Gal. 5. v. 6. Universè credimus, *quoniam ex operib[...] juſtificatur homo, & non ex fide tantùm.* Jac. 2. idque cora[m] Deo: *Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed facto[res] legis juſtificabuntur.* Rom. 2. v. 13. Et *Abraham, nónne ex ope[ri]bus juſtificatus eſt?* (NB.) *& ſuppleta eſt Scriptura, dicens: Credi[dit] Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam, & amicus [Dei] appellatus eſt.* Jac. 2. v. 21. &c.

2. Rurſum credimus, quòd *ſint juſti atque ſapientes, & ope[ra] eorum in manu Dei, & tamen neſciat homo, utrùm amore vel o[dio] dignus ſit.* Eccle. 9. v. 1. Unde Job inquit: *Verebar omnia ope[ra] mea.* Job. 9. v. 28. Et David: *Delicta quis intelligit? ab occul[tis] meis munda me.* Pſal. 18. v. 18. Et D. Paulus: *Nihil mihi conſci[us] ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.* 1 Cor. 4. v. 4. Jure igitur [...] D. Petrus: *Fratres ſatagite, ut (per bona opera) certam veſtram v[o]cationem, & electionem faciatis,* 2 Pet. 1. v. 10. & poſtremò [...] Paulus conjungit utrumque: *Cum metu & tremore,* inquit, *v[e]ſtram ſalutem operamini. Deus eſt enim, qui operatur in vobis [...] velle, & perficere, pro bona voluntate.* Phil. 2. v. 13.

§. 2. *Obſervatio ad Art. XX. De fide.*

EAdem hîc chorda oberrant, de fide & operibus Confeſſi[o]niſtæ, verùm ut oratores ex cathedra. Nobis igitur de ha[r]monia Scripturarum S. eſt laborandum (C.) Mira res! Aliqu[i]bus Scripturæ locis ſuæ, ut putant, libertati faventibus adhæ[]reſcunt, cæteras velut ſpurias reſpuunt. An non idem Spirit[us] S. loquitur omnia, & quam uno in loco integram non prom[it] doctrinam, explet in alio?

Lis in duobus potiſſimùm conſiſtit, jam tacta ſuperiù[s], quòd, & fidem ad juſtificationem hominis ſufficere ſine ope[ri]bus dicant, & opera ipſa ſuis eſſe imperfectionibus inquinat[a] neque in ſe, ſed tantùm ob perſonam credentem Deo gra[ta]. Itaque molliſſima ad ſalutem via, utque ipſimet fatentur, co[n]ſolationis plena, ſolâ fide, quâ Chriſtum pro hominibus ſat[is]feciſſe credimus, nobiſque illius intuitu à Deo miſericordi[ter] remitti peccata, certâ animi fiduciâ tenemus, juſtos nos e[ſſe] affirmant; ut confeſſio diverſis locis oſtendit. Sed quàm [...] ſupra illius doctrinæ vanitas art. 4. 5. & 11. demonſtrata [...] nunc, cùm urgere pergant, & noſtrum huc ſymbolum erat a[d]ferendum, ut verbo Dei integrè aſſentiantur. De hiſtorica fi[de] [...]

(ut illis appellare placuit) facilè convenimus, hanc minimè
tos juſtificare, de ſupernaturali fide diſſenſio eſt.

Ut verò ſententia noſtra, & S. Scripturæ, tam operibus,
quàm fidei juſtificationem hominis tribuentis, (uti ex locis à
nobis productis manifeſtum eſt) intelligatur, obſervandum di-
ligentiſſimè eſt: aliud eſſe loqui de operibus bonis hominis
nondum juſtificati, infidelis, aut peccatoris; aliud de operibus
hominis juſtificati, cùm illa fiant ab ingrata Deo perſona; hæc
verò à grata, atque ad Dei amicitiam admiſſa. Illis igitur operi-
bus, ut fide, ſpe, timore, charitate, pœnitentia, peccator aliud ni-
hil facit, quàm ut ſe ad juſtificationem diſponat, per gratiam
Spiritus S. oblatam: quia cùm ingrata Deo perſona ſit, non
poteſt quicquam per hæc opera prometeri, quod omninò poſ-
ſet, ſi jam grata & juſtificata eſſet, ut poſtea videbitur. Et hoc
ſenſu omnes Scripturæ, tam ex D. Paulo, quàm Jacobo ſump-
tæ, quæ adverſari ſibi mutuò videntur, facilem interpretatio-
nem admittunt.

§. 3. *Catholicorum de juſtificatione per fidem & opera ex Trid. Conc. doctrina.*

UT ſententiam orthodoxam pleniùs explicemus, lo-
quar cum Tridentino: unde intelligent, quantum di-
væ miſericordiæ, & gratuitæ remiſsioni tribuamus. Sic autem
habet ſeſſ. 2. cap. 6. ex S. Literis: Diſponuntur autem (pecca-
tores, inquit) ad ipſam Juſtitiam, dum excitati divinâ gratiâ, "
adjuti, *fidem ex auditu* concipientes (Rom. 10.) liberè mo- "
ventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitùs relata, & "
promiſſa ſunt, atque illud inprimis: *A Deo juſtificari impium,* "
per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, (Rom. "
& dum peccatores ſe intelligentes, à divinæ juſtitiæ timo- "
re quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſeri- "
cordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum "
propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam "
omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt &c. De hac diſpo- "
ſitione ſcriptum eſt: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia* "
eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit, (Heb. 11.) *& confide* "
remittuntur tibi peccata tua, (Marc. 2.) *& timor Domini ex-* "
pellit peccatum, (Eccli. 1.) & *pœnitentiam agite, & baptizetur u-* "
nuſquiſ-

,, nuſquiſque veſtrum &c. denique, *præparate corda veſtra Domino.* Reg. 7.

Pergit Concil. ib. cap. 7 Præparationem juſtificatio conſequitur. Efficiens illius cauſa eſt miſericors Deus, qui *gratuitò* ,, *abluit*, (1 Cor. 6.) & ſanctificat, *ſignans, ac ungens Spiritu pro-* ,, *miſſionis ſancto*, (Tit. 3. Eph. 1.) qui eſt pignus hæreditatis no- ,, ſtræ Meritoria autem dilectiſsimus unigenitus ſuus D. N. J. ,, C. *qui, cùm eſſemus inimici*, (Eph. 2.) *propter nimiam charita-* ,, *tem, quâ dilexit nos*, ſua ſanctiſsima paſsione in ligno crucis ,, nobis juſtificationem meruit, & *pro nobis Patri ſatisfecit*, ,, (Rom. 4. & 5.) Formalis cauſa, eſt juſtitia Dei, non quâ ipſe ,, juſtus eſt, ſed quâ nos juſtos facit, & ſanctiſſimæ Paſſionis ,, merito, *per Spiritum S. charitas Dei diffunditur in cordibus.* ,, (Rom. 5.) eorum, qui juſtificantur. Nam fides, niſi ad eam ſpes ,, accedat, & charitas, neque unit perfectè cum Chriſto, neque ,, corporis ejus vivum membrum efficit, quâ ratione veriſſimè ,, dicitur, *fidem ſine operibus mortuam*, & otioſam eſſe. Jac. 2 & ,, *in Chriſto Ieſu neque circumciſionem aliquid valere, neque præ-* ,, *putium, ſed fidem, quæ per charitatem operatur.* Gal. 5.

Adjungit cap. 8. Cùm verò Apoſtolus dicit (Rom. 3.) *Juſti-* ,, *ficari hominem per fidem & gratis*, ea verba in ſenſu intelli- ,, genda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus ,, tenuit, & expreſſit; ut ſcilicet *per fidem* idcò juſtficari dicamur, ,, quia *fides eſt humanæ ſalutis initium*, *fundamentum*, & radix ,, omnis juſtificationis, *ſine quâ impoſſibilè eſt placere Deo.* Hebr. ,, 11. & ad filiorum ejus conſortium pervenire, *gratis* autem ,, ideò juſtificari dicamur, quia nihil eorum, quæ juſtificatio- ,, nem præcedunt, ſive fides, ſive opera ipſam juſtificationis ,, gratiam prometetur. *Si enim gratia, jam non ex operibus: alio-* ,, *quin*, ut idem Apoſtolus inquit, *gratia jam non eſt gratia.* Rom. ,, 11. Eph. 2. Tit. 3.

,, Subjicit cap. 9. Sicut nemo pius de Dei miſericordia, de ,, Chriſti merito, deque Sacramentorum virtute & efficacia ,, dubitare debet: ſic quilibet, dum ſeipſum ſuamque propriam ,, infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formi- ,, dare & timere poteſt; cùm nullus ſcire valeat certitudine fi- ,, dei, cui non poſſit ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſe- ,, cutum.

§ 4. Pro-

§. 4. *Progreſſus in Obſervatione Art. XX. De Fide.*

CONcilium illud adeò cum S. Literis conſentiens eſt, ut præter illas, vix quicquam loquatur, ideoque niſi S. Scripturæ à nobis propoſitæ non minùs, quàm allatis per ſe Proteſtantes velint aſſentiri, manifeſtè prævaricentur. Nos in obvio omnes ſenſu Scripturas amplectimur, quas ipſi protulerunt. Nam quod Apoſtolus ad Rom. 3. & Eph. 2. de gratuita juſtificatione aſſerit, idem ſupra Concilium, idem Catholici omnes, citra exceptionem de peccatoris juſtificatione, iiſdem verbis ſenſuque oquimur. Quod autem Rom. 4. v. 4. (cui maximè adverſarii ituntur,) dicitur: *Ei, qui non operatur, credenti, reputari fidem ad uſtitiam*, hoc tenentur ipſi nobiſcum Proteſtantes accipere de nfideli, ſeu homine ante fidem ſuſceptam operanti. Et manifeſtum eſt, ſic loqui Paulum, cùm Patrem *Abraham ſecundùm arnem* conſideret, qui, ut talis, ſuis operibus nihil poterat ad dem conferre: cùm Pelagianum ſit, dicere, quòd naturæ opei ad fidem conferant. In hoc igitur ſenſu convenimus, & utraue pars opera omnia ſubmovet. Quòd verò additur, *fidem reutari ad juſtitiam*, utique fide de viva intelligunt adverſarii, on de mortua, adeoque & hæc nos obvio ſenſu admittimus. 'alis enim, cùm non excludat ſpem, fiduciam, charitatémque, r quæ viva eſt, ad juſtificationem ſufficit. Porrò, quod ſubjitur, v. 13. *Non per legem promiſſio Abrahæ, ſed per juſtitiam fidei, ut undùm gratiam firma ſit promiſſio &c.* tum deinde, quòd idem promiſſa ſibi ex Sara prole, *non hæſitaverit diffidentia, pleniſſiè ſciens, quòd quæcunque promiſit, potens eſt & facere*; oſtendit lùm, quòd certiſſimi ex fide reddamur, Deum omnia, quæ omiſit, præſtiturum nobis: firma enim ejus, licèt gratuita omiſſio eſt; quòd neque facultas Deo deſit, nec voluntas imendi. Sed quòd quiſque ex nobis fidem tam vivam, qualis rahæ fuit, habiturus ſit, hoc nulla ex S. Literis revelatione iemus: neque ſcire, præter Deum, quiſquam poteſt infallibili titudine, cui ſubeſſe falſum nequeat, an *credat, ſicut oportet.* iod Scripturæ ſupra à nobis, n. 2. adductæ, clariſſimè evinit.

(E.) Quoniam verò hac in re cardo præcipuus diſſenſioni

ſionis vertitur. Quamvis ſatis hæc falſitas diſcuſſa ſit Art. 5. &
11. tamen & hîc nonnulla adferenda duxi, ne ſapienti & æqu
judici ſcrupulus ullus relinquatur.

§. 5. *Rationes quinque, quibus certitudo de remiſſo peccato incerta redditur.*

1. NUlla poteſt Scriptura S. proferri, quâ de ſe quiſquam certus reddi poteſt, quod, ut par eſt, viva fide credat, ad eoque juſtus ſit, & Deo gratus. Hoc concedam, quòd *juſtifice eum, qui ex fide eſt Ieſu Chriſti*, & quòd ipſe etiam *Spiritus redda teſtimonium ſpiritui noſtro, quòd ſimus filii Dei*. Rom. 8. v. 16 Sed quod judicium proprium, & ille, qui *transfigurat ſe in Angelum lucis*, hic nunquam fallat, nemo poteſt concedere. Nam & Anabaptiſtas, & Zvvinglianos hac fide & ſpiritu niti, ſuæque obtendere conſcientiæ teſtimonium, negare non poteſtis, quo tamen falli, ac fallere dicitis. Quot ſunt, qui à veſtra religion ad aliam tranſeunt, qui ſe hoc teſtimonio ſubnixos deceptóſ que fatentur? Certitudo veſtra igitur veſtrómet etiam judicio fallax eſt: neque ullum illius adfertis argumentum, quo hære ticus uti nequeat; ac proinde deceptorium non ſit ac fallibile.

2. Cùm in adulto fides requiratur, antequam baptizetur, remiſſa ille ſibi peccata eſſe, tenetur credere; quid igitur baptiſmo opus eſt ad remiſſionem peccatorum? aut, ſi opus eſt, nulla ipſius fides fuit; vel certè abſque remiſsione. Niſi dicas, credidiſſe per baptiſmum remittenda ſibi eſſe peccata. Verùm & talis fides nulla futura eſt, cùm non ſit juſtificans, quia verâ remiſsione prior erit, non igitur aliud hæc fides præſtat, quàm quòd ad juſtificationem tantùm diſponat.

3. Illud Apoſtoli Eph. 3. v. 12. vobis placet: *Habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia, per fidem ejus* Dux igitur nobi fides ad confidentiam eſt, non ipſa confidentia. Nam pe quam, tanquam viam, incedo: non poteſt hoc ipſum eſſ terminus. Et certè ratio ipſa ſuffragatur; cùm in rebus divinis nulli poſsim tutò fidere, quod antè fide divina non cog noverim, apprehenderimque; nemo enim confidit rei in cognitæ. Et apud Theologos certum eſt, aliud fidei, aliu fiduciæ divinæ objectum eſſe. Fides hæc nititur infallibil

veri

veritate revelantis Dei, quod tibi, ut oportet, credenti, peccata ſit remiſſurus ob Chriſti merita: fiducia de remiſſo peccato, illius miſericordiam tibi infallibiliter indultam, ſpectat. Quare ſi fides divina juſtificet, plenè perfectéque ante omnem fiduciam juſtus es: Et rurſum eadem fide juſtus non es: quia Deus per nullam Scripturam revelavit, quod tu, ut oportet, credas, adeoque non potes credere; quòd tibi Chriſti merita applicentur. Unde etiam hæc fiducia de miſericordia ibi præſtita concidit. Denique fides & fiducia tanto intervallo diſtant, ut illa ſit actio intellectus, hæc voluntatis; lla apprehendat, & ſibi quodammodo ſiſtat objectum; hæc elut extra ſe in objectum feratur. Unde ſi apprehenſa no-is Chriſti imputetur juſtitia, ſola fides hanc meretur; fidu-a illi jam apprehenſæ imputatæque ſupervenit, atque adhæ-ſcit. Ad juſtificationem igitur hæc non poteſt neceſſaria eſſe lucia.

4. Qui certa fide tenet remiſſa ſibi peccata eſſe: vel falli teſt, vel omninò nequit. Si falli poteſt, certa fides non eſt, ſibimetipſi contradicit: ſi non poteſt: ergo Scriptura nos cipit, quæ dicit: quòd *omnis homo mendax ſit*: aut quòd us *oderit omnes, qui loquuntur mendacium*. Nam hoc in Pro-tantibus locum non habet. Hi enim cùm certò credant, ſi-emiſſum eſſe omne mendacium, ſive non imputari, etiam-enties uno die mentiantur, nunquam peccabunt, quia de illorum eſt, quòd Deus illis remittat, nec propterea eos tit. Aut ſi illud negetur, admittendum erit, centies ali-ndo Proteſtantem uno die ſuam fidem amittere, toties licet, quoties mentitur, & Dei peccatum averſantis incur-dium.

Si apprehenſa per fidem Chriſti juſtitia cum promiſſio-ivinæ miſericordiæ ad meam juſtificationem ſufficit: alia multa, ut de SS. Trinitate, Sacramentis, extremis nis, non erunt creditu neceſſaria: quia ſine his juſtifi-oſſum & ſervari. Malè igitur Arius, Neſtorius, Euty-aliique ab Eccleſia damnari. Plura non enumero: hæc mo talia eſſe, quæ horrorem cuivis rectè ſentienti, de er verſa fide ac fiducia poſſint incutere. Cæterùm, quem-ei ſalutiſque ſuæ amantem in propoſitis à nobis S. Li-ubeo acquieſcere. Utque fiduciam in divinæ miſeri-æ contemplatione lubens admitto, ſic timorem in di-

E vinæ

vinæ juſtitiæ conſideratione, noſtræque fragilitatis memoria non auſim excludere, cùm Chriſtum monentem audio : *Timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Matth.10. v.28. Quocirca cum S. Joanne finio : *Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus cuſtodimus, & ea, quæ ſunt placita coram eo, facimus.* 1 Joan.3. v. 21. In his universè certiſſima noſtra fiducia eſt, nec vana conſolatio. Cæteri *prophetant nobis mendacium*, & conſolationem à carne & libertate profectam, *quorum finis interitus* eſt, & æterna deſolatio.

PARS II.

De bonis Operibus.

CUm neceſſariam de fide doctrinam & conſolationem Eccleſiis proponimus, additur & doctrina de bonis operibus. Quòd videlicet neceſſaria ſit in reconciliatis obedientia erga legem Dei. Nam Evangelium concionatur de nova vita, juxta illud : *Dabo legem meam in cordibus eorum:* Hæc igitur nova vita debet eſſe obedientia erga Deum. Et Evangelium prædicat pœnitentiam : nec exiſtere fides poteſt, niſi in his, qui pœnitentiam agunt, quia fides conſolatur corda in contritione & terroribus peccati; ſicut Paulus docet : *Juſtificati fide pacem habemus.* Et de pœnitentia dicit Rom. 6. *Vetus noſter homo ſimul crucifixus eſt, ut aboleatur corpus peccati, ne peccato deinceps ſerviamus.* Et Eſaias inquit : *Ubi habitat Dominus? In ſpiritu contrito & humiliato,* &c.

Secundò. Inter bona opera præcipuum eſt, & ſummus cultus Dei, fides ipſa, & parit multas alias virtutes, quæ exiſtere non poſſunt, niſi priùs corda fidem conceperint. Paulus enim dicit : *Quomodo invocabunt, niſi crediderint?* Donec animi dubitant, an à Deo exaudiantur, donec ſentiant ſe à Deo rejici, non verè invocant Deum. Sed cùm fide agnoſcimus miſericordiam, confugimus ad Deum, diligimus, invocamus, ſperamus, expectamus auxilium, obedimus in afflictionibus, quia jam ſcimus nos eſſe filios, & placere Deo noſtrum ſacrificium, noſtras afflictiones. Hos cultus parit fides. Præclarè igitur inquit Ambroſius : *Fides bona*

bona voluntatis, & juſta actionis genitrix eſt. Adverſarii videri volunt magnifice ornare doctrinam bonorum operum. Et tamen de his ſpiritualibus operibus, de fide, de exercitiis fidei in invocatione, in omnibus vitæ negotiis, conſiliis & periculis, nihil dicunt; ac ne poteſt quidem rectè dici de his exercitiis; ſi conſcientiæ relinquantur in dubitatione; ſi neſciant Deum requirere fidem tanquam præcipuum cultum, & cùm offenditur oculis illa ingens ſpecies externorum operum, mentes, præſertim non ſatis inſtitutæ, abducuntur à conſpectu horum exercitiorum interiorum. Neceſſe eſt autem in Eccleſia de his interioribus operibus, & fructibus Spiritus docere homines. Nam hæc opera diſcrimen faciunt inter pios & hypocritas. Externos cultus, externas cæremonias, & alia externa opera præſtare etiam hypocritæ poſſunt. At hi cultus tantùm ſunt veræ Eccleſiæ, vera pœnitentia, timor, fides, invocatio, &c. Hi cultus præcipuè requiruntur & laudantur in Scripturis, ut Pſalmo 49. *Immola Deo ſacrificium laudis. Invoca me in die tribulationis,* &c.

Tertiò. Et hac fide, quæ conſolatur corda in pœnitentia, accipimus Spiritum ſanctum, qui datur, ut gubernet & adjuvet nos, ut peccato & diabolo reſiſtamus, & magis magiſque agnoſcamus infirmitatem noſtram, & in nobis creſcant agnitio Dei, timor, fides. Quare debet in nobis obedientia erga Deum & nova vita creſcere, ſicut Paulus docet, *revocari nos debere, ad agnitionem Dei; ut efficiatur in nobis nova lux, & imago ejus, qui condidit nos,* &c.

Quartò. Docemus etiam, quomodo hæc inchoata obedientia placeat Deo. Nam in hac tanta infirmitate & immunditie naturæ, Sancti non ſatisfaciunt legi; opus igitur eſt conſolatione, ut ſciant, quomodo hæc exigua & imperfecta obedientia Deo placeat. Non enim ideò placet, quia ſatisfaciat, ſed quia perſonæ reconciliatæ & juſtæ propter Chriſtum, & credunt ſibi condonari imbecillitatem ſuam. Sic Paulus docet: *Nulla nunc eſt condemnatio his, qui ſunt in Chriſto,* &c. Quanquam igitur hæc nova obedientia procul abeſt à perfectione legis, tamen eſt juſtitia, meretur præmia; ideò, quia perſonæ reconciliatæ ſunt. Et ita de operibus judicandum eſt, quæ quidem amplisſimis laudibus ornanda ſunt, quòd ſint neceſſaria, quòd

ſint cultus Dei & ſacrificia ſpiritualia, & mereantur præmia. Sed tamen de perſona priùs tenenda eſt hæc conſolatio, neceſſaria in certamine conſcientiæ, quòd fide gratis habeamus remiſſionem peccatorum, & perſona juſta, id eſt, reconciliata ſit, & hæres vitæ æternæ, propter Chriſtum; poſtea verò placere obedientiam, juxta illud : *Nunc non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* Non enim poſſunt opponi iræ ac judicio Dei noſtra opera, ſed terrores peccati & mortis vincendi ſunt fiducia mediatoris Chriſti, ſicut ſcriptum eſt : *O mors, ero mors tua.* Et Johan. 6. ait Chriſtus : *Hæc eſt voluntas Patris, qui miſit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Et Paulus : *Iuſtificati fide, pacem habemus.* Et Eccleſia ſemper orat : *Dimitte nobis debita noſtra :* Atque ita de imbecillitate Sanctorum, & de fide docent, & ipſi ſancti Patres, Auguſtinus in enarratione Pſalmi 30. inquit : *In tua juſtitia me erue.* Eſt enim juſtitia Dei, quæ & noſtra ſit, cùm donatur nobis. Ideò autem Dei juſtitia dicitur, ne homo ſeſe putet à ſeipſo habere juſtitiam, ſicut enim dicit Apoſtolus Paulus : *Credenti in eum, qui juſtificat impium,* id eſt; qui ex impio facit juſtum. Si agat tanquam ex regula legis propoſita, damnandus eſt peccator. Hac regula : *Si ageret, quem liberaret? Omnes enim peccatores invenit.* Hoc ait Apoſtolus : *Omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei.* Quid eſt, egent gloria Dei? Ut ipſe liberet, non tu : Quia tu non potes liberare, indiges liberatore. Quid eſt, quòd te jactas? Quid eſt, quòd de lege & juſtitia præſumis? Non vides, quid intus tecum pugnet? Non audis decertantem, & confitentem, & adjutorium in pugna deſiderantem : *Miſer ego homo,* &c. Facilè autem judicari poteſt, neceſſariam eſſe Eccleſiæ hanc doctrinam, ut ſciant homines ſe non ſatisfacere legi, & tamen habeant conſolationem, quomodo hæc imperfecta obedientia placeat. Hanc doctrinam horribiliter obruerunt olim quædam abſurdæ perſuaſiones, in quibus indocti contra autoritatem Scripturæ & veteris Eccleſiæ, finxerunt homines legi Dei ſatisfacere. Item juſtos eſſe propter legis impletionem, &c. (G.) Et Monachos perfectos eſſe, & ampliora, & præſtantiora opera præſtare, quàm lex Dei flagitat, interim altiſſimum ſilentium erat, quomodo fide apprehendendus ſit mediator Chriſtus; ſed jubebant dubitare, aut confidere propriis operibus.

Cæte-

Cæterùm de hac obedientia etiam docemus, eos qui admittunt peccata mortalia, non eſſe juſtos, quia Deus requirit hanc obedientiam, ut reſiſtamus vitioſis affectibus. Qui autem non repugnant, ſed obtemperant eis contra mandatum Dei, & admittunt actiones contra conſcienriam, hi ſunt injuſti, & neque Spiritum ſanctum, neque fidem, id eſt, fiduciam miſericordiæ retinent. Nam in his, qui delectantur peccatis, nec agunt pœnitentiam, nec poteſt quidem fiducia exiſtere, quæ quærat remiſſionem peccatorum.

Quintò. Neceſſe eſt hoc quoque docere, quomodo facere homines bona opera poſſint. Modò dictum eſt, quomodo placeant Deo, hîc addimus etiam quomodo fieri poſſint. Etſi enim homines ſuis viribus externa honeſta opera utcunque efficere poſſunt, & hanc diſciplinam debent præſtare, tamen homines ſine fide ſunt in poteſtate diaboli, qui impellit eos ad manifeſtam turpitudinem, occupat animos eorum impiis & blaſphemis opinionibus; id enim eſt regnum & tyrannis diaboli. Ad hæc natura per ſeſe infirma eſt, & non poteſt ſine auxilio Dei ſe erigere, & ſpiritualia opera efficere. Ideo docentur homines, in Evangelio promitti Spiritum ſanctum, qui animos eorum, qui agunt pœnitentiam, & Evangelio aſſentiuntur, adjuvet & gubernet. Quare in omni vita, in tanta infirmitate naturæ, inter has diaboli inſidias, in omnibus periculis exercenda eſt fides in invocatione, ut perſeverare in fide & obedientia erga Deum poſſimus. Itaque Zacharias inquit: *Effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Ieruſalem Spiritum gratiæ & precum.* Ideo enim vocat *piritum gratiæ*, quòd Spiritus ſanctus erigat & conſoletur erterrefactas mentes, & teſtetur nos habere Deum placatum. t vocat *Spiritum precum*, ut fidem aſſiduè in invocatione exceamus, ut per hæc exercitia confirmetur fides, & creſcat ova vita.

Et veræ virtutes ſine ulla dubitatione ſunt dona Dei, Fides, erſpicacia judicii in diſcernendis dogmatibus; magnitudo imi, qualem eſſe neceſſe eſt in his, qui Evangelium docent confitentur, vera diligentia in regendis Eccleſiis, vera huilitas non appetere potentiam, non frangi populari favore t odio, vera caſtitas, &c. Has heroicas virtutes Paulus cat *dona Dei*. Rom. 12. *Habentes diſſimilia dona ſecundùm atiam nobis datam.* Et de his inquit ad Corinthios: *Has*

efficit unus & idem ſpiritus, diſtribuens ſingulis, ...
autem ad hæc dona accedere exercitatio noſtra, qua...
var ea, & meretur incrementum, juxta illud: *Hab*...
Et Auguſtinus præclarè dixit: *Dilectio meretur i*...
dilectionis, cùm videlicet exercetur. (H.) Haben...
opera præmia, cùm in hac vita, tum poſt hanc vi...
æterna. Quia enim Eccleſia in hac vita ſubject...
& morti corporali, differuntur præmia pleraque ...
vitam, quæ etiamſi per miſericordiam certò propt...
contingit, his, qui fiduciâ Chriſti juſtificati ſunt, t...
eſt compenſatio bonorum operum, juxta illud: *M*...
copioſa eſt in cælis.

Ex his ſatis liquet, doctrinam bonorum operu...
ficio, piè & rectè doceri in noſtris Eccleſiis. Q...
olim obſcuritas, quanta confuſio doctrinæ de bon...
bonæ mentes ſatis nôrunt. Nemo monebat de...
humanarum traditionum & legis divinæ. Nem...
quomodo placerent bona opera in tanta noſtra ...
Denique altiſſimum ſilentium erat de fide, qua op...
miſſione peccatorum. At explicatis nunc his re...
piæ conſcientiæ conſolationem & certam ſpem ſal...
telligunt veros cultus; & nôrunt quomodo placea...
quomodo ſint meritorii.

§. 1. *Reformatio doctrinæ operum.*

1. (G.) CRedimus Deo olim promittenti: *Spir*...
ponam in medio veſtri, & faciam, ut in pr...
ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis. Ezech 36. v. 27...
Deus teſtatur, quòd *in omnibus his*, (quæ adverſa ...
locutus eſt,) *non peccavit in labiis ſuis.* Job. 1. v...
David verè dictum: *Servus meus David cuſtodiv*...
mea, & ſecutus eſt me in toto corde. 3 Reg. 14. v. 8...
ſia: *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverter*...
minum in toto corde ſuo, & in tota anima ſua, &...
virtute ſua, juxta omnem legem Moyſi. 4 Reg. 23...
Judæis id promiſſum: *Circumcidet Dominus cor tu*...
ſeminis tui, ut diligas eum in toto corde, & in tota ani...
30. v. 6. At Chriſti lex longè mitior eſt: *Jugum* ...
ve eſt, & onus meum leve. Matth. 11. v. 29. Nam q...

bile erat legi, Deus, filium ſuum mittens damnavit peccatum in carne, ut juſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus. Rom. 8. v. 3. *Elegit* enim *nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, & immaculati, in conſpectu ejus in charitate.* Epheſ. 1. v 4. Ideoque his verbis invitat Paulus: *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Caro enim concupiſcit, &c. fructus autem ſpiritus ſunt charitas, gaudium, pax, patientia, &c. adverſus ejuſmodi non eſt lex* (condemnans) *qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Gal. 5. v. 16. *Omnis lex in hoc uno ſermone eſt: Diliges proximum ſicut teipſum.* Gal. 5. v. 16. *Qui enim diligit proximum, legem implevit.* Rom. 13. v. 18. Verbo: *Mandata ejus gravia non ſunt.* 1 Joan. 5. v. 3. nam *omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Phil. 4. v. 3. Cavete, qui contradicitis: nam, *qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis; & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Matt. 5. v. 19.

2. (G.) Credimus etiam præter mandata Chriſti conſilia impleri poſſe: non fallit adoleſcens Chriſtum: *Omnia hæc* (mandata) *cuſtodivi à juventute mea. Quid adhuc mihi deeſt?* ait illi Ieſus: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me.* Matt. 19. v. 20. Daniel *trium hebdomadarum diebus panem deſiderabilem non comedit, & caro & vinum non introierunt in os ejus.* Dan. 10. v. 3. Nazaræi ab *omni, quod inebriare poteſt*, abſtinebant. Num. 6. v. 3. Rechabitæ ſe hoc voto obſequendi parenti ſuo in re ſibi libera ad Dei obſequium obligarunt: *Non bibemus vinum, quia Ionadab pater noſter præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos & filii veſtri in ſempiternum.* Quod adeò Deo placuit, ut diceret: *Pro eo, quòd audiſtis præcepto Ionadab patris veſtri, non deficiet vir de ſtirpe Ionadab, filii Rechab, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus.* Jer. 35. v. & 18. Non fallit Chriſtus Matt. 19. Marc. 10. & Luc. 18. v. 29. Amen dico vobis, *nemo eſt, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat multò plura in hoc tempore, & in ſæculo venturo vitam æternam.* Et rurſum: *Sunt Eunuchi, qui caſtraverunt ſe propter regnum cælorum, qui poteſt capere, capiat.* Matt. 19. v. 12. De Anna: *Vidua hæc erat uſque ad annos 84. quæ non diſcedebat de templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens nocte ac die.* Luc. 2. v. 37. Hæc igitur & Chriſti non præcepta tantùm, ſed & conſilia, ſequentium exempla laudabile erit amplecti, & cum Rechabitis pro-

miſſo ſe etiam ad conſtantem obſervationem adſtri
3. Credimus quoque Deum non tam perſonar
operum dignitatem intueri & munerari,
(F.) *Patrem*, ait Petrus, *invocatis, qui ſine acceptio
rum judicat, ſecundùm uniuſcujuſque opus.* 1 Pet, 1. v.
lus: *Quodcunque facitis, ex animo operamini, accipieti
nem hæreditatis, Domino Chriſto Ieſu ſervite. Qui eni
facit, recipiet id, quod iniquè geſſit. Et non eſt perſonar
apud Deum*, Col. 3. v. 23. *Gloriemur*, igitur, idem in
*clefiis Dei pro patientia veſtra, & fide & in omnibus p
bus veſtris, quas ſuſtinetis in exemplum juſti judicii D
habeamini* (εἰς τὸ καταξιωθῆναι) *regno Dei*. Ex op
tur ſua perſonæ dignitas. Agnovit idem David: *Re
mihi Dominus, ſecundùm juſtitiam meam; quia cu
Domini*. Pſ. 17. v. 21. promiſit Chriſtus: *Venturus e
hominis in gloria Patris ſui, ut reddat unicuique ſecu
ejus*. (κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ) Quid clarius illo Pauli:
*ni declarabit uniuſcujuſque opus quale ſit, ſi cujus op
quod ſuperædificavit, mercedem accipiet*. 1 Cor. 3. v. 13
Non eſt injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri. He
*Et pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ,
eſt, & futuræ*. 1 Tim. 4. v. 8. Errant igitur, qui bona
lam ex ſe dignitatem adferre, mercedem mereri, pro
futuræ vitæ habere aſſerunt.
4. (H) Credimus, quòd is, *qui parcè ſeminat, par
&c. potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare f
bis, ut in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes
in omne opus bonum. Multiplicabit ſemen veſtrum, &
crementa frugum juſtitiæ veſtræ, ut in omnibus locuplet
tis in omnem ſimplicitatem*. 2 Cor. 9. v. 6. Unde, q
juſtificetur adhuc, & qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc
v. 11. Nam *unuſquiſque propriam mercedem accipiet
ſuum laborem*. 1 Cor. 3. v. 8. *Stella enim à ſtella differt
ſic erit & reſurrectio mortuorum*. 1 Cor. 15. v. 41. No
ſola Chriſti juſtitia nobis imputata; ſed ex increm
tiæ, bonorum operum, & ſanctitas, & meritum, &
gloriæ ponderabitur.

§. 2. *Obſervatio ad Art. XX. De Operibus.*

HIc aliquantò prolixius divinæ Scripturæ veritas, pondúſque conſpirantium ubique ſententiarum erat inculcandum, ut intelligerent & fuiſſe plures, qui nonnunquam omnem legem & mandata Dei impleverint, & præter hæc mandata, conſilia etiam Dei quoſdam laudabiliter amplecti. Atq; idcircò ipſa etiam Deo in ſe ſuâque naturâ placere opera, & juxta illorũ dignitatem & incrementum perſonarum quoque ſanctitatem, hac in vita, mercedem verò in altera creſcere & amplificari. Cum qua Scriptura adeò diſerta & manifeſta impoſſibile eſt, illam de ſola fide juſtificante, & operum inquinamentis doctrinam, quam Auguſtana inculcat Confeſſio, ſubſiſtere.

(F.) Quàm verò futilis hæc ſit inſimulatio doctrinæ Romanæ, quòd ſpiritualia & interna religionis opera negligat, externaque ſolùm extollat, & ſupra ad præfationem hujus art. tradidimus, & ex omnibus noſtris Theologis toto orbe conſtat, qui nihil externo tribuunt operi, quod ab interna mentis virtute non profluat, dignitatémque ſuam mutuetur. Proinde manifeſtæ hîc falſitatis rea eſt Confeſſio, ſuumque ulcus detegit; quando externa perfectionis opera deſpicit, quæ Scriptura tot locis prædicat, & Chriſtus in extremo judicio æternâ vitâ muneratur. Matth. 25. v. 34. Deinde n. 4. Confeſſio tam verbo Dei apertiſsimo, quàm ipſa ſibi contradicit. Et verbo quidem Dei, cùm ait, quòd David, Joſias, Eliſa-eth, aliiq; *ſatisfecerint legi Dei*: ipſa verò docet, quòd *ſancti non ſatisfaciant legi.* Rurſum verbo Dei, cùm tradit, quòd *ſine acceptione perſonarum, Deus judicet, ſecundùm uniuſcujuſque opus.* Confeſsio verò monet: *Non ideo placere opus, quia ſatisfaciat, ſed quia perſona juſta ſunt propter Chriſtum.* Nec ipſa ſibimet contradicit minus, dum ſic pergit: *Quanquam hæc nova obedientia procul abeſt à perfectione legis, tamen eſt juſtitia, & meretur præmia, ideò, quia perſonæ reconciliatæ ſunt.* Nam hinc ſequitur, idem indiviſibile opus, quod reſpectu perſonæ gratæ juſtitia eſt, reſpectu legis non expletæ, eſſe injuſtitiam. Quæ duo contradictoria, etiam reſpectu diverſo, non ſubſiſtunt, niſi ſimul & ratio & Scriptura nos fallat.

Illa quæ docet, *quod bonum ſit ex integra cauſa, malum ex q*
libet defectu: Hæc monens, quod *qui in uno offendit eſt omni*
reus: Jac. 2. v. 10. Iterum contradicit ſibi, quando *tantam*
infirmitatem, & immundiciem naturæ humanæ aſſerit, ut ſa
non ſatisfaciant legi. Si igitur, propter naturæ hanc immun
ciem, ſancti non ſatisfaciunt, ergò propter eandem naturæ i
mundiciem, Deo hæc opera diſplicere neceſſe eſt. Quare p
cere propter perſonam non poſſunt: niſi hanc à natura ſe
res, aut concedas, Deo propter eandem perſonam, idem o
& placere, & diſplicere poſſe. Neque diverſus, ut dixi, reſ
ctus ad juſtitiam Dei juvat; cùm bonum ſit ex cauſa integ
neque divina juſtitia juſtificare perſonam queat, quæ ex
natura injuſta eſt. Horrendum etiam ſit fateri, quod Deus h
mines mandata Dei non ſervantes, hoc eſt, fures, adulter
homicidas (niſi admittas hæc mandata ſervari poſſe) juſti
Chriſti juſtos eſſe ſentiat.

Tale igitur monſtrum neque cœlum, neque terra ſuſtin
re poteſt, quale Auguſtana Confeſſio concipit. S. Scriptura
Auguſtinus in Pſ. 30. cùm dicit, non ſua hominem, ſed Dei j
ſtificari juſtitia, hoc eſt, gratis & divinitus peccatoribus
dulta: umbram hujus doctrinæ non adferunt, quòd ſub juſ
tia imputata Dei homines & juſti cenſeantur & verè in ſe ſu
que actionibus maneant peccatores, his tamen ipſis actio
bus propter imputatam ſibi juſtitiam Chriſti placeant. H
enim ab illis ſunt diverſiſſima. Injuſta peccatoris opera pro
ter Chriſti juſtitiam juſta cenſeri, imperari, exigique à D
tam indigna, horrenda, & cum omni ratione, Scriptura, ac D
pugnantia ſunt: ut mirum ſit, quemadmodum pruden
cetera homines ad hanc ſentiendi cæcitatem prolabant
Quod ſi negent, Deum imperfecta hæc opera exigere, pal
erit, ad hæc neminem teneri, nec fructus veræ fidei hab
poſſe. Cùm tamen *fructus ſpiritus ſint charitas, gaudium &*
Gal. 5.

(G.) Homines verò implere nonnunquam poſſe mand
Dei, & legi ſatisfacere, recteque inſuper conſilia Dei amp
cti, diſertiſſimis ſcripturæ verbis docemur, ut abſurdum
hæc audere abſurditatis arguere. Deinde hic non tantum
Scripturæ, n. 1. 2. 3. & 4. contradicunt, ſed & ipſi ſibi. *G*
(ajunt) *non repugnant, ſed obtemperant vitioſis affectibus, cont*
mandatum Dei, hi ſunt injuſti, & neque ſpiritum S. neque fid.

retin

retinent: Subſume : *Sed omnes, qui legi non ſatisfaciunt* (ut de ſe fatentur Auguſtani) *Hi obtemperant vitioſis affectibus contra mandatum Dei*, Ergò *ſunt injuſti, & neque Spiritum S. neque fidem retinent.* En laqueum, quem Confeſſioniſtæ ſibimet ipſis injiciunt. Habent Spiritum S. & fidem, ut de ſe profitentur: & eandem non habent, cùm legem non explendo, adverſus mandatum Dei delinquant. Aut ſi negent, hoc mandatum Dei eſſe, ut legem expleant. Jam lex non erit lex, mandatum non erit mandatum, imò nec peccatum amplius peccatum. Verbo confundentur omnia.

Rurſus abſurdum eſt, quod fidelis peccando fidem amittat. Quæro enim, an otioſum verbum, aut concupiſcentiæ motus peccatum ſit? Et ſi (ut aſſerunt) eſt; an fides his etiam peccatis amittatur? Si negent, fallit hæc doctrina, quod adverſus mandata Dei delinquens fidem perdat. Si affirment, Jam Lutherani vix tempus reperient, quo fideles dici queant. Etſi fides per baptiſmum communicata peccando amittitur, quo, obſecro, illa medio, cùm ſit rerum ſperandarum fundamentum recipitur? An fortè pœnitentia? ſed hæc ſine fide, neque eſſe, neque concipi poteſt. Ergò fidem ejuſmodi hominem ante pœnitentiam, & contra pœnitentiam ante fidem, hoc eſt fidem ipſam ante fidem, habere neceſſe eſt.

(H.) Quæ porrò de bonis virtutum operibus, humilitate, caſtitate &c. diſſerit Confeſſio, planè laudanda ſunt. Verum cùm hæc dona Dei aſſerit, immemor ſui eſſe videtur; quòd antè tradiderit, hæc ipſa legi Dei eſſe difformia, ideoque quando immunditias inter dona Dei cenſet, non parvam divinorum donorum puritati, ipſique datori ſanctiſſimo injuriam irrogat. Aut certè concedere neceſſe eſt, hæc ab omni immundicie poſſe expurgari. Quæ deinde adjicit de illorum donorum incremento, per exercitationem noſtram, præmiiſque, cum in hac, tum in altera vita conferendis, optamus adverſarios ex animo ſentire, & amplecti juxta S. Scripturam num. 3. & 4. adductam. Cùm tamen hæc eadem virtutum dona legi non ſatisfacere, ideoque inquinamenta admittant, neſcio quemadmodum ſecum convenire ſinant, quando illis præmia indulgent. Quibus rectè expenſis animadvertent, opinor Confeſſioniſtæ, quantam opem ad hanc doctrinam ex verbo Dei illuſtrandam attulerint. Nam quæ ipſi ex Jacobo adferunt c. 3. v. 2. quod

nemo

nemo ſine peccato ſit. Et 2 Joh. 1. v. 1. quòd *in multis offendi[...]* *omnes*, facilè admittimus, *atque hinc concludimus* : Erg[...] *omnibus* omnes non offendere : quod nobis ad integrita[...] actuum quorundam ſufficit, pro qua ſolùm pugnamus.

ARTICULUS XXI.

De Invocatione Sanctorum.

INvocatio eſt honos, qui tantùm Deo omnipotenti præſt[...] dus eſt: videlicet, Patri æterno, & Filio ac Servatori no[...] Jeſu Chriſto, & Spiritui ſancto. Ac propoſuit nobis Deus [...] lium ſuum Jeſum Chriſtum, mediatorem & Pontificem, in[...] pellantem pro nobis. Propter hunc ſolum teſtatur noſtras p[...] ces audiri & accipi, juxta illud: *Quidquid petieritis Patrem* [...] *nomine meo, dabit vobis*. Item: *Vnus eſt mediator Dei & ho[...]* *num*. Ergo invocantes Deum, offerant ſuas preces per fili[...] Dei, ſicut in fine precum in Eccleſia dici ſolet: *Per Ieſum Ch[...]* *ſtum*, &c. Hæc de Invocatione doceri, neceſſe eſt, ſicut a[...] copioſiùs de Invocatione noſtri ſcripſerunt. Econtra verò [...] xanda, & ex Eccleſia protſus ejicienda eſt conſuetudo in[...] candi ſanctos homines, qui ex hac vita deceſſerunt; q[...] hic mos gloriam ſoli Deo debitam transfert ad homines, t[...] buit mortuis omnipotentiam, quòd Sancti aſpiciant mo[...] cordium; tribuit item mortuis officium Mediatoris Chriſti, [...] haud dubiè obſcurat gloriam Chriſti. Ideò totum mor[...] invocandi ſanctos homines, qui ex hac vita diſceſſeru[...] damnamus, & fugiendum eſſe cenſemus. Sed illud prod[...] recitare veras hiſtorias piorum, quia exempla utiliter doce[...] ſi rectè proponantur. Cùm audimus Davidi condonatum [...] lapſum, confirmatur fides in nobis quoque. Conſtantia M[...] tyrum veterum nunc quoque confirmat animos piorum. [...] hanc utilitatem recitare hiſtorias utile eſt; ſed tamen pruden[...] in accommodandis exemplis opus eſt.

(M.) Hæc ſumma eſt doctrinæ, quæ in Eccleſiis noſt[...] traditur. Et conſentaneam eſſe judicamus & Propheticæ [...] Apoſtolicæ Scripturæ, & Catholicæ Eccleſiæ. Poſtremò [...] iam Romanæ Eccleſiæ, quatenùs ex probatis ſcriptorib[...] nota eſt. Atque idem judicaturos eſſe ſperamus omnes bo[...]

& c[...]

& doctos viros. Non enim aſpernamur conſenſum Catholicæ Eccleſiæ, nec eſt animus nobis ullum novum dogma & ignotum ſanctæ Eccleſiæ, invehere in Eccleſiam; nec patrocinari impiis aut ſeditioſis opinionibus volumus, quas Catholica Eccleſia damnavit. Non enim adducti prava cupiditate, ſed coacti autoritate verbi Dei & veteris Eccleſiæ, amplexi ſumus hanc doctrinam, ut gloria Dei fieret illuſtrior, & conſuleretur piis mentibus in univerſa Eccleſia. Conſtat enim, pleroſque abuſus irrepſiſſe in Eccleſiam, qui emendatione opus habent. Et cùm propter gloriam Chriſti, tum propter ſalutem omnium gentium, maximè optamus, ut diligenter cognitis his controverſiis, Eccleſia repurgetur, & ab iis abuſibus liberetur, qui diſſimulari non poſſunt: quam ob cauſam diu jam omnes boni viri in omnibus nationibus expetunt Synodum, cujus quidem ſpem aliquam Clementiſſ. Imperator omnibus gentibus oſtendit. Faciet igitur Imperator rem digniſſimam ſua magnitudine & felicitate, & exoptatam univerſæ Eccleſiæ, ſi in Synodo permiſerit judicium de tantis rebus, non illis, qui privatos affectus in conſilium adhibent, ſed delectis piis & doctis viris, qui gloriæ Chriſti, & ſaluti univerſæ Eccleſiæ conſulere cupiant. Hæc eſt uſitata & legitima via in Eccleſia, dirimendi diſſenſiones, videlicet ad Synodos referre controverſias Eccleſiaſticas.

Hunc morem ſervavit Eccleſia inde uſque ab Apoſtolis. Et præſtantiſſimi Imperatores Conſtantius ac Theodoſius, etiam in rebus non valde obſcuris, & dogmatibus abſurdis, tamen ſine Synodo, nihil conſtituere voluerunt, ut Eccleſiæ libertatem in judiciis dogmatum conſervarent. Et honeſtiſſimum eſt Cæſari, illorum optimorum Principum exemplum imitari, præſertim cùm nos nihil mutaverimus, ſine exemplo veteris Eccleſiæ. Et ſperamus, hanc tantam felicitatem Imperatori divinitùs datam eſſe, ad Eccleſiæ emendationem ac ſalutem. Certè hanc gratiam Deus ab ipſo repoſcit, ut potentiam ſuam conferat ad ornandam Chriſti gloriam, ad Eccleſiæ pacem, ad prohibendam immanem & injuſtiſſimam crudelitatem, quæ mira quadam rabie paſſim exercetur in membra Chriſti, in homines pios & innocentes. Harum maximarum rerum curam mandavit Deus ſummis Principibus. Ideo excitat Monarchas, ut injuſta imperia prohibeant, quemadmodum excitavit *Cyrum*, ut liberaret à captivitate populum Judæorum,

dæorum, *Conſtantinum*, ut illam infinitam ſævitiam, quæ c
in Chriſtianos exercebatur, depelleret. Ita optamus ut *Cæ*
& curam emendandæ Eccleſiæ ſuſcipiat, & injuſtam crud
tatem prohibeat.

Nam articuli noſtri, quos recenſuimus, ſatis clarè teſtan
nos nullum dogma contra Catholicam Eccleſiam, null
impiam aut ſeditioſam opinionem docere aut probare. I
quoſdam inſignes articulos chriſtianæ doctrinæ à noſ
piè & utiliter illuſtratos eſſe. (N.) In externis traditioni
abuſus quidam mutati ſunt, quarum etiam ſi qua eſt diſſi
litudo, ſi tamen doctrina & fides pura ſit, nemo propter
lam traditionum humanarum diſſimilitudinem, habendus
hæreticus, aut deſertor Catholicæ Eccleſiæ. Nam unitas C
tholicæ Eccleſiæ conſiſtit in doctrinæ & fidei conſenſu, non
traditionibus humanis, quarum ſemper in Eccleſiis per tot
orbem magnà fuit diſſimilitudo. Nec verò fidem hab
Cæſarea Majeſtas his, qui, ut odia contra nos inflamme
miras calumnias ſpargunt. Prædicant omnes cæremoni
omnes bonos mores in Eccleſiis deleri à nobis. Hæc crim
na apertè falſa ſunt. Nos enim & ceremonias divinitùs inſ
tutas, ſumma pietate conſervamus; & ut earum reverenti
augeremus, tantùm novos quoſdam abuſus ſuſtulimus, c
contra Scripturam, contra veteres Canones, contra vete
Eccleſiæ exempla, ſine ulla certa autoritate, vitio temp
rum recepti ſunt. Ac magna ex parte veteres ritus diligen
apud nos ſervantur. Quare rogamus, ut Cæſarea Majeſ
clementer audiat, quid in externis ritibus ſervetur, quid, q
de cauſa mutatum ſit.

§. I. *Reformatio Art. XXI.*

(I.) CRedimus abſque Chriſti mediatoris injuria & idol
(L.) latria invocaſſe Iſraëlitas Samuelem: *Ne ceſſes clam
re pro nobis ad Dominum Deum noſtrum, ut ſalvet nos.* 1 Reg.
v. 8. Et Paulum oraſſe Romanos: *Obſecro ergo vos fratres.,
Dominum N. I. C. ut adjuvetis me in orationibus veſtris apud De
pro me.* Rom. 15. v. 30. Et Joſue adoraſſe Angelum; na
cùm hic diceret: *Princeps exercitus Domini ſum* (non ipſe D
minus) *continuò cecidit Ioſue pronus in terram, & adoravit.* J

5. v.

5. v. 15. Et ipſum interceſſiſſe pro populo Angelum: *Domine exercituum uſquequò tu non miſereberis Ieruſalem, & urbium Iudæ, quibus iratus es? Et reſpondit Dominus Angelo verba conſolatoria.* Zach. 1. v. 12. Et denique Jacob, poſt Deum, ita invocaſſe Angelum. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis.* Gen. 48. v. 16. Nam & hi non minus *mediatores* eſſe poſſunt, quàm *Moyſes* Deut. 5. v. 5. & Gal. 3. v. 19 Ita, ut tamen maneat, *unus mediator Dei & hominum homo I. C. qui dedit redemptionem ſeipſum pro omnibus*, 1. Tim. 2. v. 5. qualis per redemptionem mediator nemo eſt alius.

2. Credimus in univerſali Chriſti Eccleſia (quæ cælos terramque complectitur) eſſe *communionem ſanctorum*, ut ſymb. Apoſt. Et Deum horum interceſſione delectari. *Ite*, inquit, *ad ſervum meum Iob, ille orabit pro vobis.* Job ult. Etiam poſt mortem. Unde Onias ait: *multum orat pro populo, & univerſa ſancta civitate Ieremias Propheta* 2. Mach. ult. v. 14. Et *viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno, habentes orationes ſanctorum.* Apoc. 5. v. 8. Atque hæc interceſſio potens eſt. Unde Deus ipſe; *ſi ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Jer. 15. v. 1. Et Jacob, *Invocetur nomen meum ſuper pueros hos, & nomina Patrum meorum.* Gen. 48. Non tamen invocandi adorandique ſunt, honore divino. Unde monet Angelus Joannem adoraturum. *Vide ne feceris, conſervus enim tuus ſum, Deum adora.* Apoc. 22. v. 9. Nam *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Deut. 6. Religioſus tamen his cultus præſtari poteſt, ut Dei amicis qualis *Angelo à Ioſue* c. 5. præſtitus eſt, & *anima Samuelis ab adorante Saule*, 1. Reg. 28. v. 14. Si enim *hunc honorem Elias à Principe Abdia.* 3. Reg. 18. *Daniel à Nabuchodonoſore* admiſit 2. Dan. 46. (qui nec civilis erat, cum exhiberetur à Dominis: nec divinus, cum ut vir Dei haberetur,) quid ni ſancti hunc rectè admittant?

3. Credimus denique Angelos ſanctoſque vita functos noſtras preces audire, ut *Samuel excitatus* 1. Reg. 28. & beati ſperant, *gaudentque ſuper pœnitente.* Matth. 22. & *Angelus Tobiam* dixit, *preceſque Deo obtulit.* Tob. 12. v. 12. ideoque & amici Job monebant. *Voca ſi quis eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem ſanctorum convertere.* Job. 5. v. 1.

§. 2. Ob-

§. 2. *Obſervatio ad Art.* XXI.

(L.) Facilis concordia eſt, ſi hæ ex aliis ſolùm Scripturis dan: ; de quarum autoritate non controvertitur. Pl cumulavi, quia negant, nos ſine Scriptura loqui. Libera tar hæc pietas eſt , conſulitur , non præcipitur , ſuadetur emplis, non imperio. Et tantùm abeſt, ut hic cultus divi ſit, vel Deo competens: ut etiam ipſius honori repugnet pe te à Deo, ut is pro nobis oret: aut apud Deum pro nobis tercedat, adeoque nec Chriſto, niſi qua homo eſt, conven orare pro nobis Deum, hoc eſt, ſubmittere ſe Deo ſupplice Vide quæ in 1. part. c. 6. de his acta ſunt.

(M.) Cùm verò fateantur ſe veteris, Catholicæque Eccle conſenſum, ac verbi divini autoritatem amplecti, probent l admiſſa Reformatione, quam poſui, quæ cum S. Scriptura thodoxæ Eccleſiæ ſenſum proponit. Sed de hoc fortaſsè no alius diſſerendi locus opportunior futurus eſt.

Nunc admirari ſatis nequeo, quòd ad univerſalem Syn dum, quales ſub Conſtantino & Theodoſio Imp. celebra ſunt, in controverſiis fidei provocent; cùm tamen haud mul poſt, ab eadem ſub Carolo V. collecta, integritati cauſæ ſi diffiſi, ſe ſubduxerint.

Iterum mirum eſt, quòd fidenter affectant: nullum dogr novum ſe adferre, neque quicquam contra Catholicam E cleſiam tradere, præter rituum quorundam abrogatione ideoque ejuſdem deſertores videri nolint: cùm unitas doct næ fideique ab illis conſervetur. Hæc enim ſi vera ſunt, c univerſalis Eccleſiæ Synodum ſubterfugiunt? noſtris ſe ſu ducunt Eccleſiis? ſynedria & congregationes fidelium verſas inſtituunt? cur diſcedunt à Romanis, quos unius cum fidei doctrinæque eſſe ſentiunt; rituumque tantumm dò, nunquam ſatis probanda cauſa, hoc ſciſma ordiuntu cur illius orthodoxæ Eccleſiæ Epiſcopos refractarii non a diunt; quos *poſuit Deus regere Eccleſiam Dei?* An neſciun quòd *qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit?* Profect hoc ſeipſos condemnant judicio, qui manifeſta toti orbi ceſſione, à perfecta confeſſaque unitate Eccleſiæ Cathol cæ divelluntur, ſeque in reformatione eorum conſtituun

jud

Judices, quorum ipſi poteſtatem autoritatemque in vera fide Eccleſiaque agnoſcunt.

At negant, ſe diſceſſiſſe, verùm excommunicationis ſententiâ à Romanis ejectos eſſe. Mira res, nam ſi innocentes fideleſque ſunt, quomodo excommunicatio illos poteſt ſeparare; quæ innocentes, cùm ipſa nocens eſt, dividere ab unitate doctrinæ morumque nequit? Cum integra, errorem in hæreticis declarat, non adfert; ſeceſſionem indicat, non facit? Si verò nocentes tangit, nulla illi injuriâ ſunt fulminati. Hæc igitur querela quocunque ſe verterint, inanis eſt.

Dicunt alii, ſe in unitate veteris orthodoxæque ſemper perſtitiſſe Eccleſiæ, Romanos eſſe, qui viatiatâ fidei morumque doctrinâ ab illa ſe diviſerint. Magis hoc mirum eſt. Quo nim in orbe hæc Auguſtanæ Confeſſionis doctrinæ reformaio, Catholicuſque ejuſdem conſenſus, unquam viſus audituſque eſt? Ubi ejuſdem Eccleſiæ reformatricis ante hac nomen, e dicam unitas, intellecta eſt? Quis hodiedum eſt, qui illos Catholicos, aliquo communitatis ſenſu non ſuſpecto, appelre audeat? Inaudita, & ex orbe prorſus altero, loqui videbiur, qui dixerit Romano-Catholicos à Lutheranis diſceſſiſſe. deò tamen mira, atque inaudita, hodie pro ipſamet veritate agnaciſſimè venditantur. Verum *civitatis in monte poſitæ, & nius ſanctæ, Catholicæque Eccleſiæ ſupra petram fundatæ,* in uam credimus, nomen, imago, vultuſq; adeò obſcurari nuniam potuit; ut qui ab ea ſeceſſerint unitate Catholicæ, exa quam aliam judicare non poſſunt, ignorentur. Si hæc neſunt Confeſſioniſtæ, nolunt apertis oculis lucem intueri.

Qui denique propter abuſus ab ea ſe ajunt diſcedere, hi vel bent fateri, diverſum uſum ſacrorum ad diviſionem ſuffice- vel agnoſcere ſe immeritò ſeparatos. Si hoc fateantur; emeritatis ac ſchiſmatis illiciti arguunt, qui in diverſas à tholica unitate ſe ſynagogas abdiderunt: ſi illud, tot penè cleſiis, quot urbibus inter ſe diſtinguentur; cum alibi ventur inter ſacra albis, alibi nigris: alibi Confeſſioni auriari ſuos adſtringant, ſine hac abſolvant alibi: Cœnam magi verſitate adminiſtrent, liturgiis & altaris miniſterio funtur alibi, pluribus jam locis defuncti, alio in loco ſacræ tontur imagines, eliminentur alio. Ita ut Eccleſia quoad rinullibi, quam apud hos reformatores, magis difformis ſit,

nihi'que illis magis conſiderandum videatur, quàm ſapie
monitum γνῶθι σεαυτόν. Videamus tamen, quibus S. Sc
turæ argumentis noſtros uſus rituſque deteſtentur.

TRACTATVS I.

ARTICULI DE ABUSIBUS, QUI EXTERNIS RITIBUS MUTATI SUNT.

ARTICULUS I.

De Miſſa.

FAlsò accuſantur Eccleſiæ noſtræ, quòd
ſam aboleant. (O) Retinetur enim Miſ
pud nos, & ſummâ reverentiâ celebratur,
vantur & uſitatæ cæremoniæ ferè omnes,
terquam quòd Latinis cantionibus admiſ
tur alicubi Germanicæ, quæ additæ ſun
docendum populum. Ideò enim opus eſt cæremoniis
doceant imperitos, & tractatio verbi Dei excitet aliquo
verum timorem, & fidem, & invocationem. Et non ſo
Paulus præcepit uti linguâ intellecta populo, ſed etiam
conſtitutum eſt humano jure. Adſueſcit populus, ut un
tantur Sacramento, ſiqui ſunt idonei. Id quoque auge
verentiam & religionem publicarum cæremoniarum. N
enim admittuntur, niſi priùs explorari. Admonentur et
homines de dignitate & uſu Sacramenti, quantam conſola
nem proponat his, qui agunt pœnitentiam, ut diſcant ho
nes & timere Deum, & credere, & exerceant invocation
petant & expectant bona à Deo. Hi ſunt veri cultus C
ſtianorum. Hos cultus, timorem, fidem, invocation
ſpem, &c. probat Deus. Itaque cùm hi cultus exerce
in uſu cæremoniarum, placet Deo Sacramenti uſus. C
igitur & ad cæremoniam aſſuefiat populus, & de uſu ad
nea

neatur, & fiunt Miſſæ apud nos ritè & piè: & geruntur omnia in Eccleſia majore cum gravitate & reverentia, quàm olim.

Conſtat autem, multis ſæculis publicam fuiſſe querelam bonorum virorum, de Miſſarum abuſu ac prophanatione. Non enim obſcurum eſt, quàm latè pateat hic abuſus in omnibus templis, à qualibus celebrentur Miſſæ, contra Canonum interdictum. Deinde quàm turpiter ad ſacrilegum quæſtum conferantur. Plurimi enim celebrant Miſſas, & ſine pœnitentia, & tantùm ventris causâ. Hæc notiora ſunt, quàm ut diſſimulari poſſint. Nec videtur unquam ulla res divina ab initio mundi, adeò vulgò ad quæſtum collata eſſe, ſicut Miſſa. Paulus autem horribiliter minatur his, qui indignè tractant Sacramentum, cùm ait: *Qui indignè ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini, reus erit ſanguinis Domini.* Et in Decalogo ſcriptum eſt: *Qui Dei nomine abutitur, non erit impunitus.* Ut igitur ſæpè alias mundus dedit pœnas pro idololatria, ita haud dubiè hæc ingens prophanatio Miſſarum atrociſſimis pœnis punietur. Et fortaſſis propter eam cauſam præcipuè plectitur Eccleſia his poſtremis temporibus, cæcitate, diſcordiis, bellis, & aliis multis peſtibus. Atque manifeſtos abuſus Epiſcopi hactenus, cùm quidem non ignorarent eos, non ſolùm toleraverunt, ſed ſuaviter etiam riſerunt. Nec ſerò incipiunt queri de calamitatibus Eccleſiæ, cùm alia nulla res præbuerit occaſionem multibus horum temporum, niſi abuſus ipſi, qui ita erant manifeſti, ut tolerati à moderatis hominibus diutiùs non poſſent. Utinam Epiſcopi pro ſuo officio ante hæc tempora coercuiſſent avaritiam atque impudentiam, ſeu Monachorum, ſeu aliorum, qui, mutato veteris Eccleſiæ more, Miſſas ad quæſtum contulerunt.

Sed abuſus illi, ex quo fonte orti ſint, dicemus. Opinio ſparſa in Eccleſiam, quod Cœnâ Domini ſit opus, quòd celebratum à Sacerdote, mereatur remiſſionem peccatorum, culpæ & pœnæ, facienti & aliis, idque *ex opere operato*, ſine bono motu utentis. Item quòd applicatum pro mortuis, ſit ſatisfactorium, hoc eſt, mereatur eis remiſſionem pœnarum purgatorii. Sic interpretantur ſacrificium, cùm Miſſam vocant ſacrificium, opus videlicet, quod applicatum pro aliis, mereatur eis remiſſionem culpæ & pœnarum, idque ex opere

 opera-

operato, ſine bono motu utentis. Sic interpretantur oblationem à Sacerdote fieri in Miſſa pro vivis & mortuis. Hac perſuaſione recepta, jam homines docuerunt quærere remiſſionem peccatorum & omnis generis bona. Item, liberare à pœnis mortuos, beneficio Miſſæ. Nec referebat à qualibus fierent Miſſæ, quia docebant eas prodeſſe aliis, ſine bono motu utentis: Deinde quærebatur, utrùm una Miſſa, dicta pro pluribus, tantundem proſit, quantum ſingulæ pro ſingulis. Hæc diſputatio & numerum Miſſarum, & quæſtum in infinitum auxit. Sed nos jam non de quæſtu diſputamus, impietatem accuſamus. Docent enim noſtri, hanc opinionem de merito & applicatione Miſſæ, falſam & impiam eſſe. Hic eſt hujus controverſiæ ſtatus. Ac facile eſt piis judicium de hac cauſa, ſi quis expendat argumenta quæ ſequuntur.

(R.) *Primum*: ſuprà oſtendimus, conſequi homines remiſſionem peccatorum gratis fide, id eſt, fiducia miſericordiæ propter Chriſtum: Ergò impoſſibile eſt conſequi remiſſionem peccatorum propter alienum opus, & quidem ſine bono motu, id eſt, ſine fide propria. Hæc ratio ſatis clarè refutat illam prodigioſam & impiam opinionem de meritò & applicatione Miſſæ.

Secundum: Paſſio Chriſti fuit oblatio & ſatisfactio, non ſolùm pro culpa originis, ſed etiam pro omnibus reliquis peccatis, ut ad Hebræos ſcriptum eſt, *ſanctificati ſumus per oblationem Ieſu Chriſti ſemel.* Item, *una oblatione conſummavit in perpetuum, eos qui ſanctificantur.* Denique, bona pars Epiſtolæ ad Hebræos conſumitur in hac ſententia confirmanda, quòd ſolum Chriſti ſacrificium meruerit aliis remiſſionem peccatorum, ſeu reconciliationem. Inquit, *ideò quotannis repetita eſſe Levitica ſacrificia, quia non oboleverint peccata. Sed Chriſti ſacrificio ſemel ſatisfactum eſſe pro omnium peccatis.* Hic honos ſacrificii Chriſti, non debet transferri in opus Sacerdotis. Diſertè enim dicit, *una oblatione ſanctos conſummatos eſſe.* Ad hæc impium eſt, fiduciam quæ niti debet ipſa Pontificis Chriſti oblatione & interceſſione, transferre in opus Sacerdotis.

Tertium: In inſtitutione cœnæ Domini, non mandat Chriſtus, ut offerant Sacerdotes pro aliis vivis ac mortuis. Qua

igitur

igitur autoritate, hic cultus tanquam oblatio pro peccatis ſine mandato Dei in Eccleſia inſtitutus eſt?

Multò abſurdius eſt, quod Miſſa confertur ad liberandas animas mortuorum. Nam Miſſa inſtituta eſt ad recordationem, hoc eſt, ut utentes cœna Domini, recordatione beneficii Chriſti erigant & confirment fidem, & conſolentur conſcientias perterrefactas. Nec Miſſa ſatisfactio eſt pro pœna, ſed inſtituta eſt propter remiſſionem culpæ videlicet, non ut ſit ſatisfactio pro culpa, ſed ut ſit Sacramentum, quo utentes admoneamur beneficii Chriſti & remiſſionis culpæ. Cùm igitur illa applicatio cœnæ Domini ad mortuos liberandos, ſine Scripturæ autoritate, imò contra Scripturam, recepta ſit, damnanda eſt, tanquam novus & impius cultus.

Quartum: Cæremonia ſine fide in Novo Teſtamento nihil meretur, nec facienti, nec aliis. Eſt enim opus mortuum, juxta illud Chriſti, *veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.* Idem probat totum cap. 11. ad Hebræos: *Fide potentiorem hoſtiam obtulit Abel.* Item, *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*: ergò Miſſa non meretur remiſsionem culpæ aut pœnæ, ex opere operato. Hæc ratio perſpicuè refutat meritum, quod vocant, ex opere operato.

Quintum: Fide propria fit applicatio beneficii Chriſti, ſicut teſtatur Paulus Rom. 3. *Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem, per ſanguinem ejus.* Et hæc applicatio fit gratis. Ergo non fit applicatio, alieno opere, neque propter alienum opus. Nam cùm Sacramentis utimur, noſtro opere ac noſtra fide fit applicatio, non alieno opere. Etenim ſi non contingeret nobis remiſsio, niſi applicatis Miſsis fieret incerta, & fiducia transferenda eſſet à Chriſto in opus Sacerdos, idque ut conſtat, accidit. Porrò fiducia, collocata in opus hominis, damnata eſt.

Hæc argumenta & pleraque alia, teſtantur neceſſariò reprehenſam eſſe opinionem de merito & applicatione Miſſæ pro vivis & mortuis. Jam ſi conſiderabitur, quàm latè vagatus ſit hic error in Eccleſia, quomodo hac perſuaſione crevit Miſſarum numerus, quomodo vivis & mortuis hoc ſacrificio promiſſa ſit remiſsio culpæ & pœnæ, apparebit Eccleſiam propter hanc prophanationem, horrendis peccatis deformatam eſſe. Nunquam gravior cauſa, optime Impe-

rator, in Eccleſia incidit, aut dignior, de qua docti & boni viri diligenter deliberent. Omnes pii, ardentiſſimis votis à Deo petere debent, ut his peccatis Eccleſia liberetur. Reges omnes & Epiſcopi, omni ſtudio anniti debent, ut hac totâ causâ ritè explicatâ, repurgetur Eccleſia.

Sextum; Inſtitutio Sacramenti pugnat cum illo abuſu. Nihil enim de oblatione pro peccatis vivorum & mortuorum præcipitur: ſed præcipitur, ut ſumantur corpus & ſanguis Domini. Et ut id fiat ad recordationem beneficii Chriſti. Recordatio autem ſignificat, non aliquam tantùm hiſtoriæ repræſentationem, velut in ſpectaculo, ſicut ſomniant illi, qui defendunt meritum ex opere operato: ſed ſignificat fide recordari promiſſionem & beneficium, conſolari conſcientiam, & gratias agere pro tanto beneficio. Principalis enim cauſa inſtitutionis eſt, ut fides ibi excitetur & exerceatur, cùm hoc pignus gratiæ accipimus. Prætetea, inſtitutio ordinat, ut fiat communicatio, hoc eſt, ut miniſtri Eccleſiæ porrigant etiam aliis corpus & ſanguinem Domini. Et hunc morem ſervatum eſſe in principio Eccleſiæ, teſtatur Paulus ad Corinthios, qui præcipit etiam, ut *alii alios expectent*, ut fiat communis participatio.

Patefactis igitur abuſibus, privatæ Miſſæ, quia & pleræque omnes fiebant propter illam applicationem pro peccatis aliorum, & non conveniunt cum inſtitutione Chriſti, defierunt in noſtris Eccleſiis. (S) Eſt tamen inſtituta una communis Miſſa, juxta Chriſti ordinationem, in qua Paſtores Eccleſiarum conſecrant, ſumunt & porrigunt aliis Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti. Et fit talis Miſſa ſingulis feriis, atque aliis etiam diebus, ſi qui velint uti Sacramento. Nec admittuntur ad communionem, niſi antea explorati. Adduntur & conciones piæ, ſicut Chriſtus præcepit, ut habeantur conciones, cùm hæc cæremonia tractatur. Et in his concionibus, cùm de cæteris articulis & præceptis Evangelii diligenter docentur homines, tum etiam admonentur, ad quem uſum inſtitutum ſit Sacramentum, videlicet, non quòd ex opere operato mereatur eis remiſſionem peccatorum hæc cæremonia, ſed quòd Sacramentum ſit teſtimonium, ſit pignus, quo Chriſtus teſtetur ſe nobis præſtare promiſſa, & quòd promiſſiones ad nos pertineant, quòd

Chriſtus exhibeat nobis corpus ſuum, ut teſtetur ſe in nobis efficacem eſſe, tanquam in membris ſuis: exhibeat ſanguinem, ut teſtetur nos ablui ſanguine ſuo. Prodeſt igitur Sacramentum his, qui agunt pœnitentiam, & ibi quærunt conſolationem, & confirmari hoc teſtimonio credunt verè ſibi præſtari remiſſionem peccatorum, & agunt gratias Chriſto pro tanto beneficio. Ita fit applicatio beneficii Chriſti, non propter alienum opus, ſed propria cujuſque fide, & proprio uſu Sacramenti. Nam cùm ipſi utimur, teſtatur ipſa Chriſti ordinatio, quòd ad nos pertineat beneficium Evangelii. Talis uſus Sacramenti pius eſt, & docendus in Eccleſiis, qui & illuſtrat doctrinam de fide, & de ſpiritualibus exercitiis, & veris cultibus, & adfert piis conſcientiis ingentem conſolationem, & erigit fidem. Ante hæc tempora, de uſu Sacramenti longè aliter docebantur Eccleſiæ. Nihil proponebatur, niſi quòd hoc opus faciendum eſſet. De fide, de conſolatione conſcientiarum, nemo quidquam monebat. Et vexabantur conſcientiæ immodica diligentia confeſſionis; hanc putabant puritatem eſſe, quam requirit Evangelium, cùm Evangelium requirat verum timorem, & veram fiduciam, & uſu hujus Sacramenti nos conſoletur, ut hi, qui pœnitentiam agunt, credant certò ſe habere Deum propitium propter Chriſtum, etiamſi natura infirma, & immunda eſt, etiamſi hæc noſtra inchoata obedientia procul abeſt à perfectione legis. Ex his omnibus ſatis liquet, Miſſam apud nos convenire cum inſtitutione Chriſti, & ritu primæ Eccleſiæ. Ad hæc illuſtrat maximè verum uſum Sacramenti. Hujuſmodi communis Miſſa fuit in veteri Eccleſia, ut *Chryſoſtomus* teſtatur, qui ait: *Sacerdotem ad altare ſtare, & alios ad communionem accerſere, alios verò arcere.* Et ex Nicenæ Synodi decretis apparet, *unum aliquem celebraſſe Liturgiam*, ut Græci vocant, *qui cæteris omnibus porrexit corpus & ſanguinem Domini.* Hæc enim ſunt verba decreti: *Accipiant Diaconi ſecundùm ordinem poſt presbyteros ab Epiſcopo, vel à presbytero ſacram communionem.* Hìc disertè ipſos presbyteros ait accipere Sacramentum ab uno quodam porrigente. Nec privatæ Miſſæ ulla fit mentio ante Gregorii tempora, ſed quoties veteres de Miſſa loquuntur, apparet eos de una quadam communi Miſſa loqui. Cùm igitur Miſſæ ritus apud nos habeat autoritatem Scripturæ, & exemplum veteris Eccleſiæ, & tantùm intolerabiles qui-

dam abuſus abjecti ſint, ſperamus non poſſe improbari noſtrarum Eccleſiarum morem. Cæteri ritus adiaphori magna ex parte uſitato more ſervantur, ſed numerus Miſſarum diſſimilis eſt. Nec olim in Eccleſiis frequentiſſimis fiebat quotidie Miſſa, ut teſtatur Hiſtoria Tripartita lib. 9. cap. 38. *Rurſus autem in Alexandria, quarta & ſexta feria Scripturæ leguntur, eaſque Doctores interpretantur, & omnia fiunt præter ſolennem oblationis morem.*

§. I. *Reformatio Miſſæ Confeſſioniſtarum.*

Q. CRedimus, quod *Chriſtus ſemel oblatus ſit, ad multorum exhaurienda peccata: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi.* Heb. 9. v. 24. *Una* enim *oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos.* (R) Heb. 10. v. 14. Simulque credimus, quod *ſit Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Pſal. 109. v. 4. qui *Melchiſedech Rex Salem, protulit panem & vinum: erat enim Sacerdos Dei altiſſimi.* Gen. 14. v. 18. nam & *ſapientia ædificavit ſibi domum, immolavit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam.* Prov. 9. v. 1. Quam Paulus victimam menſamque agnoſcit, *Calix,* inquit, *benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt, & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? Tenete Iſrael ſecundùm carnem, nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum. Non poteſtis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe & menſæ dæmoniorum.* 1. Cor. 10. v. 15. *Habemus enim altare* (θυσιαςήριον ſacrificii aram) *de quo non edere habent poteſtatem, qui tabernaculo deſerviunt.* Heb. 13. v. 10. Chriſto ſic inſtituente, cùm dixit. *Hoc eſt corpus meum, quod* (NB.) *pro vobis* (ut cum Græcorum textu loquar) *datur,* ſeu *frangitur, & hoc eſt poculum, novum Teſtamentum in meo ſanguine, quod pro vobis effunditur, hoc* (NB.) *facite in meam commemorationem.* Luc. 22. Matth. 26. 1. Cor. 11. Ita nunc impletur Iſaiæ vaticinium. *In illa die erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & colent eum in hoſtiis, & muneribus,* cap. 19. v. 19. Et Malachiæ. *Ab ortu uſque ad ſolis occaſum magnum eſt nomen meũ in gentibus, & omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Mal. 1. v. 1. Chriſtus enim cùm ſit *ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, & omnis pontifex ex hominibus aſſump-*

aſſumptus ſit, ut offerat dona & ſacrificia Heb. 5. v. 1. & 6 panem & vinum perpetuo offeret. Quod fiet, *donec ablatum fuerit juge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio.* Dan. 12. v. 11.

§. 2. *Obſervatio ad hunc Articulum.*

Concordia hic erit, ſi hæ tantum S. Scripturæ obvio claroque in ſenſu admittantur. Nam ut D. Paulus cruentam in ſacrificio oblationem Chriſti unicam ſolum agnoſcit; ita altaris incruentam hoſtiam, tam ad Corinthios, quâm Hebræos diſertiſſimè commendat, illamque cum gentium & Judæorum oblatione, tanquam nobiliorem componit. Qui aliter interpretantur, Verbo Dei & veritati oppugnatæ vim adferunt, neque S. Scripturæ ſententiam, velut Judicis, ut ajunt, definientis, ſequuntur, ſuoipſomet judicio damnandi. Hoc verò ſacrificio admiſſo, cetera extra difficultatem ſubſiſtunt.

(O.) Nam 1. quod Miſſam, Sacramenti adminiſtrandi gratiâ, patiantur, hoc laudamus: miramur tamen, & hunc antiquæ pietatis uſum jam multis in locis ſenſim intercidiſſe. Nimis verum illud eſſe Poetæ experimur. *Prona ſemper in pejus via eſt.* Primùm ſpreverunt Eccleſiæ Catholicæ ritus, poſt & ipſam operis ſubſtantiam aſpernati ſunt. Aliis orationes, ſacræque ex Verbo Dei prælectiones diſplicuerunt, quia prolixæ nimium: aliis quia Latinæ. Vulgarique hæc lingua proſtare voluerunt; ut ſi ſolis Sacerdotibus hæc S. myſteria peragenda non eſſent; & fas eſſet minorum, ſcurrarum puerorumque etiam imitationi, ludibrioque eadem exponere. Si ad ſancta ſanctorum olim, tam difficilis ratiſque indulta acceſſio eſt; an ut ad hujus Sacramenti ſacrificiique arcana quivis de trivio penetret, erit indulgendum?

(P.) Si ad quæſtum Miſſa convertatur, hoc improbum eſt, ac jure Eccleſiâ eliminandum. Si verò hoc ſolum ſpectetur, ut vivat de altari, qui eidem ſervit; æquum eſt. *Dignus eſt enim operarius mercede ſua,* quam Eccleſia præſtare tenetur. Sacris apud nos rebus pretium non eſt conſtitutum; ſed perſonis laborantibus alimentum, quod nec jumentis quidem ſervientibus negare fas eſt. Hæc ſi livor malè interpretetur, ferendum, non cedendum eſt.

(Q.) Jam remiſſionem peccatorum pœnarumque per incruenti

cruenti hujus ſacrificii oblationem, vi hujus myſterii (ſeu, ut placuit in ſcholis loqui, ex opere operato) obtineri tam eſt certum, quàm probatum ex adductis ſupra, in art. XI. Scripturis, non ſola fide, verùm & aliis virtutum operibus, atque etiam Sacramentis adhibitis (ut art. XIII. vidimus,) remiſſionem peccatorum & gratiam impetrari. Neque obſtat Paulus, quòd dicat Hebr. 9. v. 17. *Vbi remiſſio, jam non eſt oblatio pro peccato, & quòd ſine ſanguine non fiat remiſſio.* Nam hîc de oblatione cruenta Chriſti diſſerit, & remiſſione per illam impetrata, ſine qua agnoſcimus nullam omninò remiſſionem fieri. Sed cùm hæc remiſſio non proſit ſingulis, niſi applicetur, (ut in tot gentibus, & hæreticis, improbiſque pereuntibus manifeſtum eſt,) ſolùm controvertitur, an per ſolam fidem hæc applicatio fieri debeat, an per alia quoque opera virtutum & religionis, inter quæ ſacrificium eſt? Cauſam vicimus, quando hanc ultimam ex verbo Dei ſententiam tradidimus. Chriſto igitur dictum ſacrificium inſtituenti aſſentimur Matth. 26. v. 28. *Effunditur in remiſſionem peccatorum*, quæ remiſſio generatim impetratur vi cruenti ſacrificii, ſingulatim etiam applicatur virtute hujus incruenti.

(R.) Rationes itaque partis oppoſitæ, ex eodem fundamento vanæ ſunt. Nam ad primum reſpondeo, gratis quidem; at non ſola fide peccatorem juſtificari. Et falli illos, qui aſſerunt, ſine fide & motu bono proprio alios poſſe participes oblati pro ſe ſacrificii. Nam *ſine* vera *fide impoſſibile eſt placere Deo.* Ad ſecundum dico, quòd admittamus pro omnium peccatis à Chriſto una oblatione remiſſionem nobis impetratam, noſque ſanctificatos, modò nobis applicetur mediis à Deo præſcriptis, aliàs & gentes eadem ſanctificati eſſent. Ad tertium reſpondeo, quòd pro omnibus viatoribus, tam pro vivis, quàm mortuis nondum cælo donatis offerri poteſt; ut exemplo Judæ 2 Mach. 12. & virorum in Jabes Galaad 1 Reg. 31. verſ. 13. diſcimus, & veteris Eccleſiæ, ipſiuſque Auguſtini, pro defuncta matre ſacrificium procurantis uſu probatum eſt. Sic enim ille lib. 9. Conf. c. 10. inquit: *Cùm offerretur pro ea ſacrificium pretii noſtri, jam juxta ſepulchrum poſito cadavere, priuſquam deponeretur, ſi ut fieri ſolet, nec in iis precibus ego flevi, &c.* Ad quartum facilè admittimus, ſine fide hoſtiam nullam placere. Sed vana prorſus illatio

latio eſt. Ergò ex opere operato nihil hoc ſacrificium mereri. Bene fides & opus ſociantur, ut jam ſupra eſt traditum. Ad quintum dico: Illum, cui applicatur à ſacrificante Miſſa, non collocare fiduciam in homine, ſed meritis Chriſti, in ſacrificio pro ſe oblato applicandis; cujus dignitas non ab homine, ſed Deo pendet. Nam Chriſtus in hoc ſacrificio & offerens primarius per hominem miniſtrum eſt, & oblatus. Ad ſextum denique reſpondetur, ſacrificii oblationem in peccatorum remiſſionem, non minus per verba illa, *hoc facite, &c.* quàm communionem corporis ſanguiniſque, vel præcipi, vel certè ſuaderi. Remiſſio autem hæc, cùm omnium ſit cælo nondum receptorum, etiam in defunctos cælo nondum receptos, nec fide viva deſtitutos, cadit. Cæterùm universè hìc adverſarios monemus, ut expendant, à quo fonte & autore hæc argumenta pleraque manârint, quantumque illi credendum ſit.

(S.) Fruſtra verò ad Miſſam Confeſſioniſtæ exigunt, ut publica ſit, & communicantes alii præter Sacerdotem ſemper admittantur. Tum quia ratio ſacrificii neutrum ſua ex natura, aut inſtituto exigit, neque enim ipſe Chriſtus publicè primùm uſus eſt: neque de Apoſtolis aliud Act. 13. v. 2. legimus, quàm *miniſtrantibus,* ſeu *ſacrificantibus Domino Spiritum S.* adſtitiſſe. Sacerdotem ut ſemper, ita præterea alios communicatione eadem reficiendos, nullo diſerto præcepto, aut traditione Veterum receptum eſt. Quædam etiam priſcorum ſacrificia, quæ hujus umbræ erant, abſque victimæ communicatione abſoluta ſunt: ut par ſit, idem hìc admittere. Ideoque liberæ pietati multorum reſtringendę, hæ leges, velut catenæ, injiciendę non ſint. Interea apud pios Chriſtianos uſitatum eſt, qui ejuſmodi ſacrificiis interſunt, ſpirituali communione, ſe participes divinæ menſæ reddere, nec commemoratione mortis Domini, & quotidianis in templis Catholicorum ſacrificiis (quæ dæmon, velut arcem pietatis, expugnata cuperet) toties æquum eſt homines deeſſe, quoties minus ad corporalem ſynaxin paratos ſe eſſe ſentiunt.

Cæterùm, quæ ex Nicena Synodo & Hiſtoria Tripart. adferuntur, de ſolennibus Epiſcoporum ſacris dicta ſunt, in quibus presbyteri, qui non celebrarent, Diaconique miniſtrantes ſynaxi reficerentur, ut & die Jovis ſancto hodiedum ab uno Sacerdote plures alii accipiunt; neque diebus cæ-

teris

teris ab Eccleſia fieri prohibetur. Semetipſam verò Confeſſio illâ deſtruit hiſtoriâ, in qua ſolennem oblationem agnoſcit.

Quocirca tam diſertè nobis in S. literis propoſitum, cum ara, ſacrificium, Chriſtique figuram, in panis vinique per Melchiſedechum Sacerdotem (ſaturis jam ex cibo, & præda Sodomorum militibus Gen. 14. v. 11. & 24.) oblatione expreſſam, non poſſunt Auguſtanæ Confeſſionis homines, ſalvâ veritate & ſcripturâ rejicere. Quod ſi interpretationem huc inferant, extra ſcriptam Dei judicis ſententiam, ac definitionem, ſuomet rurſum judicio condemnati ſunt.

ARTICULUS II.

De utraque ſpecie Sacramenti.

ET quoniam communis Miſſa apud nos celebratur, ut intelligat ſe quoque ſanctificari ſanguine Chriſti, & diſcat verum uſum ceremoniæ: (T.) Datur laicis utraque pars Sacramenti in cœna Domini, quia Sacramentum inſtitutum eſt, non ſolùm pro parte Eccleſiæ, ſcilicet Pro Presbyteris, ſed etiam pro reliqua Eccleſia, igitur & populus utitur Sacramento, ſicut Chriſtus inſtituit. Et quidem Chriſtus inquit Matth. 26. *Bibite ex hoc omnes*, ubi manifeſtè ait de poculo, ut omnes bibant. Et ne quis cavillari poſsit, quòd id tantùm ad Sacerdotes pertineat, Pauli ordinatio ad Corinthios teſtatur, totam Eccleſiam communiter uſam eſſe utraque parte. Hic mos diu manſit etiam in Latinis Eccleſiis, nec conſtat, quando, aut quo autore mutatus ſit. Cyprianus aliquot locis teſtatur populo ſanguinem datum eſſe. Sic ſcribit alicubi ad Cornelium Papam. *Quomodo docemus, aut provocamus eos in confeſſione nominis, ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, ſi non eos prius adhibendum in Eccleſia poculum Domini jure communicationis admittimus?* Et Hieronymus inquit, *Sacerdotes Euchariſtiæ miniſtrant, & ſanguinem Chriſti populis dividunt.*

Extat in Decretis canon Pontificis Gelaſii, qui prohibet dividi Sacramentum, his verbis: *Comperimus autem quod quidam, ſumpta tantùm corporis ſacri portione, à calice ſacri cruoris abſti-*

abſtineant, qui procul dubio, quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur, aſtringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diviſio unius ejuſdemque myſterii, ſine grandi ſacrilegio non poteſt accidere.

In Hiſtoria Tripartita ſcriptum eſt in objurgatione Theodoſii Imperatoris, quem Ambroſius noluit ad communionem admittere ſine pœnitentia, propterea quod Theſſalonicæ paucorum militum necem, qui per tumultum interfecti fuerant, nimis acerbè ultus erat, trucidaveratque ſeptem millia civium. Hic Ambroſius inquit: *Quomodo his manibus ſuſcipies ſanctum Domini corpus? Qua temeritate ore tuo poculum ſanguinis pretioſi percipies, &c.* Conſtat igitur veteris Eccleſiæ morem fuiſſe, dare populo utramque Sacramenti partem. Tantùm conſuetudo non ita vetus adimit populo alteram partem. (V.) Non diſputabimus autem, quid ſentiendum ſit de conſuetudine recepta contra autoritatem Apoſtolicæ Scripturæ, contra Canones, contra exemplum veteris Eccleſiæ. Intelligunt enim omnes pii, conſcientias de doctrina chriſtiana Verbum Dei conſulere debere, nec approbandam eſſe conſuetudinem contra Verbum Dei. Quanquam autem conſuetudo mutaverit in Latina Eccleſia veterem morem, tamen non improbat aut prohibet. Nec verò humana autoritas prohibere ordinationem Chriſti & receptiſſimum uſum veteris Eccleſiæ debet. Ideò nos tam duximus prohibendum eſſe uſum integri Sacramenti. Et in ea cæremonia quæ debet eſſe fœdus mutuæ dilectionis in Eccleſia, non voluimus contra charitatem duri eſſe aliorum conſcientiis, qui maluerunt integro Sacramento uti, neque ſæviriam eam in re ullam exercendam eſſe putavimus. Sed quantum poſſumus, una cum ipſa cæremonia reſtituimus piam doctrinam de fructu cæremoniæ, ut intelligat populus, quomodo Sacramentum propoſitum ſit, ad conſolandas conſcientias eorum, qui agunt pœnitentiam. Hæc doctrina invitat pios ad uſum & reverentiam Sacramenti. Etenim non ſolum cæremonia mutilata fuit antea, ſed etiam neglecta præcipua doctrina de fructu. Et fortaſſis cæremoniæ mutilatio ſignificavit obſcuratum eſſe Evangelium de ſanguine Chriſti, hoc eſt, de beneficio mortis Chriſti. Nunc Dei beneficio renovatur ac reſtituitur pura doctrina de fide, unà cum cæremonia.

§. I. Re-

§. 1. *Reformatio de utriuſque ſpeciei Communione.*

CRedimus, *bibiſſe ex calice omnes.* Marc. 14. v. 23. quibus Chriſtus dixit: *Bibite ex hoc omnes.* Matth. 26. v. 27. & quòd. is, qui in ultima cœna præter panem, *accipiens calicem, gratias egit, & dedit,* in Emaus ſolùm, *accepit panem, benedixit ac fregit: & porrigebat illis, & aperti ſint oculi eorum.* Luc. 24. v. 30. Quique corpore porrecto, dixit: *Hoc facite in meam commemorationem,* exhibito ſanguine, conditionatè dixerit: *Hoc facite, quotieſcunque bibetis, in meam commemorationem.* 1 Cor. 11. quique dixit Joh. 6. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* v. 54. idem & ante dixerit: *Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt: ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendit, ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* verſ. 49. &c. & poſtea, *qui manducat me, vivet propter me,* (NB. vitæ cauſam) *qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Quod enim *in manna, nunc ſeorſum,* nunc *cum aqua ex petra fluente ſumpto,* per figuram accidit, Exod. 16. & 17. hoc in re figurata expreſſum hîc credimus loc. cit. ideoqui primi Chriſtiani *erant perſeverantes in communicatione fractionis panis, & orationibus.* Actor. 3. v. 43. *Neceſſe enim erat impleri omnia, quæ* in figura *de Chriſto ſcripta erant in lege Moyſi, & Prophetis,* Luc. 24. v. 44. ideoque tam ſeparationem ſpeciei utriuſque, quàm Melchiſedechi oblationem, niſi dicas vel figuram utrobique nullam, vel irritam fuiſſe.

§. 2. *Obſervatio hujus articuli.*

(T.) PRovocant hîc tum ad Scripturam S. ut Chriſti inſtitutum, & Pauli ordinationem; tum adverſus Eccleſiæ uſum. Si utrumque ex animo faciant, concordia eſt. Nam Chriſti inſtitutum nobis favet: cùm nullibi expreſsè tradat, ſe calicem pro omnibus, tam laicis, quàm Sacerdotibus inſtituere, & diſertè τὸ *omnes* biberunt, Marcus ad ſolos Apoſtolos applicet. Paulus etiam Corinthiis panem ſolum abſolutè, calicem ſub conditione præſcribat, idque ſingulatim quoque. Inde monſtrabile igitur manet, Matthæum Paulumque aliter intellexiſſe.

Deinde

Deinde faciamus utramque ſpeciem inſtitutam, idque ſingulatim quoque pro omnibus, non tamen hinc ſequitur obligari ſingulos: nam aliud inſtitutum, aliud præceptum eſt. Inſtituuntur pro juventute univerſa ſcholæ, earumque leges & diſciplinæ variæ: non tamen omnium ad omnes illas obligatio eſt. Inſtitutum pro ſingulis hominibus matrimonium eſt, nec tamen obligantur ſinguli. Tertiò, ipſa quoque inſtituti ratio nobis ſuffragatur, per quam calix à pane ita ſeparatus eſt, ut appareat non neceſſariò eandem Sacramenti rationem ſubire: nam *cœnantibus* adhuc diſcipulis unà cum Chriſto, accepit panem & benedixit, ut Evangeliſtæ habent, Matth. 26. Marc. 14. ita ut hujus Sacramenti ceremoniâ cœnam agni, qui illius figura erat, ac ſolo etiam eſu communicatus, per ſuum figurarum in cibo jure clauſerit, abſolveritque, tanquam fine ſuo. Cui adjecit, ut Lucas refert, *hoc facite in meam commemorationem*; quâ commendatione hanc inſtitutionem manifeſtè concluſit: nihil autem imperfectum, & non abſolutum in ratione ſigni prudenter mandare poterat, in ſui commemorationem fieri.

Poſtquam verò *cœnavit*, Luc. 22. v. 20. 1 Cor. 11. v. 25. calicis uſum ſeorſim inſtituit, adjiciens (quæ liberum ſumendi uſum indicaret,) *hoc facite, quotieſcunque bibetis, in meam commemorationem.* Ex qua utriuſque rei inſtitutione, adeo figuris, tempore, modo, & commendatione diviſa, mirum eſt Confeſſioniſtas ad utriuſque ſpeciei ſumptionem, ita fideles obligari omnes velle, ut ſacrilegum ſit, pane ſolo refici, contra manifeſta Chriſti verba: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Quare vivet? *Propter me.* Si integer Chriſtus in pane ſuſceptus eſt, vita gratiæ negari dignè ſumentibus non poterit: quia hæc datur *propter Chriſtum*, non propter panis ac vini ſpecies. An inficiari poteris, hanc ſumpto jam corpore Apoſtolos priuſquam vinum Chriſtus conſecraſſet, percepiſſe? Si negas, jam tollis verba Chriſti, *propter me vivet*: ſi concedis, non eſt, cur fidelibus in hac ſumptione, Chriſti commemorationem, juxta inſtitutum habentibus, eandem deneges. Quarto ſuomet in hac lite judicio adverſarios damnari neceſſe eſt: quando hinc ſtatuunt, nullum ex Scriptura præceptum nobis imponendum eſſe, cujus diſerta atque indubitata verba non extent: inde præceptum nullum

nullum ſingulis fidelium utramque ſpeciem imperans queunt producere. De qua re vide quæ diximus part. 1. c. obſerv.

(V.) Verùm nec ipſa Confeſsio ſolius S. Scripturæ teſtimonio, hac in controverſia, uſuque, cùm ſacrificii, tum Sacramenti definiendo, ac ſuis utrumque cæremoniis abſolvendo, vidit ſe poſſe ſubſiſtere, quando ipſe Paulus, qui Corinthiis pleniorem, quàm in aliis ſcripturæ locis extet, inſtructionem de hoc myſterio dederat, in calce tamen Epiſtolæ (1. Cor. 11.) ſubjecit; *cetera, cum venero, diſponam* : neque de hac poſtea diſpoſitione quicquā ſcripto edidiſſe compertus eſt; ideoque Apoſtolica hæc diſpoſitio à veteris Eccleſiæ uſu petenda ſit. Ad hanc igitur Eccleſiam Confeſsio provocat. Quod ea lege admittimus, ut vel infallibilem ilius, à ſpiritu veritatis directæ, autoritatem agnoſcat : vel ſi fallibilem tantùm ſequatur, lubrico ſe niti argumento fateatur. Ad rem quod attinet, non negamus utramque olim Sacramenti ſpeciem ſæpe laicis conceſſam, atque etiamnum id fieri ex Eccleſiæ arbitrio poſſe: cum Scriptura S. indefinitum illius uſum quoad laicos reliquerit, & nunc utraque, nunc altera illius tantum ſpecies commendetur, ideoque hic eorum definitio conveniat, quos *poſuit Deus regere Eccleſiam Dei* : nam *qui hos audit, Deum audit*. Quæ conformius S. literis agit, quando utriuſque ſimul & unius ſpeciei uſum ab illis commendatum tuetur; ut intelligant homines, à ſolo Chriſto, indiviſim in hoc Sacramento ſuſcepto, omnem manare gratiam, quæ perſuaſio in diverſo ſpecierum uſu, ut hodiedum in Sacramentis conſtat, facilè evaneſceret. Deinde quod talis uſus Sacramenti hujus à Chriſto inſtitutus cenſeri debeat, à quo nemo adultorum, robore illo gratiæ indigentium, excludatur. Cùm igitur Cyprianus & Hieronymus Confeſsioniſtis placeant, legant illum quoque ſerm. de lapſis, & hunc in Apol. pro libris in Jovinian. Clementem item Alexand. lib. 1. Strom. Tertull. lib. 2. ad uxorem cap. 5. Ambroſ. de obitu Satyr. Euſeb. lib. 6. hiſt. cap. 36. Amphilochium in vita S. Baſilii, Paulinum in vita S. Ambroſii, Sophronium in prato Spir. c. 79. Concil. Nicen. can. 36. & intelligent unius ſpeciei uſum & aſſervationem in veteri Eccleſia viguiſſe. Sic ad ægros delatum, & infantibus ſub ſola ſanguinis ſpecie præberi ſolitum. Apud Orientales quoque in quadrageſima communio ex præ ſanctificatis, hoc eſt, conſecrato in Dominicæ ſa-

crificio

crificio pane, per ſeptimanam reliquam, excepto ſabbato, fieri conſuevit; ut patet ex Laodiceno Concilio can. 49. ex Trullano can. 52. Quin & in Latina Eccleſia Laicæ communionis memoria eſt, quæ etiam clericis quandoque imperabatur, ut ex Concilio Sardicenſi c.2. conſtat, quam, utique diverſam, fuiſſe aliam ab hac noſtra exiſtimare non poſſumus. Plura in hanc rem argumenta ex Matthæo Caryophilo Iconenſi Archiep. reperies, quæ prorſus propoſitum evincunt.

De abſtemiis, Nazaræiſque communione S. in ſolo pane non privandis, ratio eſt evidentiſſima. Et in omni retro hiſtoria inauditum eſt, multas vini amphoras, aut vaſa integra, ad reficiendū multa hominum millia, paſchalibus præſertim feſtis confluentia, fuiſſe conſecrata. Verbo dicam, libertatem retinuit ubique Eccleſia, quam illi ereptam eſſe, neque apertis ſcripturæ verbis, neque invincibili demonſtratione evincitur. Ut quid igitur in re tam manifeſta ambiguis rationibus certant adverſarii, cùm nihil unquam allaturi ſint, quod elidi nequeat, ideoque in re ancipiti pro libertate ſtabit ſententia, & veritas inconcuſſa.

Decretum Gelaſii ex ipſo Canonis titulo, ſeu inſcriptione manifeſtum eſt. Sic habet: *Corpus Chriſti ſine ejus ſanguine ſacerdos non debet accipere.* Cum enim id temporis Manichæi, qui vinum execrabantur, ſeſe Catholicorum velarent nomine, & ipſe, & ante 30. annos Leo primus, communionem ſub utraque urgebat ſpecie, quam hic quidem univerſè populo in Paſchate, ille indies Sacerdotibus in ſacrificio imperatam voluit, poſtquam aliquos hic etiam prævaricari compeſiſſet, ubi illud myſterium ſine ſacrilegio mutilari non poteſt: cum de ratione ſacrificii ſit utraque ſpecies: ut in quo mors Chriſti, & ſeparatio ſanguinis à corpore, juxta Chriſti inſtitutum, eſt repræſentanda: offertur enim tamquam agnus occiſus, & mactata pro noſtris delictis hoſtia. Ex lata autem per Leonem id temporis lege, de utraque ſpecie populo communicanda, ſat manifeſt. argumento vincitur in recepto, jam ante uſu non fuiſſe, cum alioquin non præcipiendus erat; ſed reprehendendi puniendique ut hæretici, qui Chriſti inſtitutum violarent, ac latam ab eo legem contemnerent: neque Leoni adverſus Laicos mitius, quam Gelaſio adverſus Sacerdotes, qui & Chriſti, & Pontificis mandatum

violarent, erat procedendum. Verùm quid de Leone & Gelaſio cum illis diſceptamus, qui in reliquis illos minimè ſcriptis audituri ſunt, & quid de illo etiam ex Canonibus loco, qui in ſcriptis Gelaſii nullibi reperitur? Dedimus hanc tamen excurſionem amori pacis, ceterùm ſolis hic quoque ſcripturis S. decretum eſt inſiſtere, quas ſtrictim ſupra adduximus.

ARTICULUS III.

De Confeſſione.

(X.) HUic parti doctrinæ Chriſtianæ, de pœnitentia in primis, magnas tenebras offuderunt Theologi & Canoniſtæ. Idque teſtantur non ſolùm ipſorum bibliothecæ, ſed etiam omnium piorum conſcientiæ, quæ fatentur illas inextricabiles diſputationes Theologorum, & traditiones infinitas de pœnitentia, horribilem carnificinam conſcientiarum fuiſſe. Nuſquam enim quidquam certi docent quomodo contingat remiſſio peccatorum, de fide prorſus eſt altiſſimum ſilentium. Imò jubent perpetuò dubitare de remiſſione peccatorum. Poſtea excruciant conſcientias acerba enumeratione delictorum: item ſatisfactionibus. Qualis enim laqueus conſcientiæ fuit traditio, quæ præcepit omnia peccata enumerare.

Satisfactiones verò obſcuraverunt beneficium Chriſti quia etiam docti fingunt per eas compenſari æternam mortem. Indocti putabant his operibus emi remiſſionem culpæ. Quid quòd plerumque fuerint cultus non mandati à Deo, βαττολογίαι precum, invocationes ſanctorum, peregrinationes, & hoc genus alia. Ita fuit obruta ingenti acervo inutilium malarum opinionum ſimplex doctrina de pœnitentia. Et conſtat multis ſeculis bonos deſideraſſe doctrinam puriorem.

Porrò præcipuè opus eſt in Eccleſia extare puriſſimam & ſimpliciſſimam de pœnitentia doctrinam. Ideò huic articulo maximè ſtuduerunt noſtri lumen afferre, quem quidem ita patefecerunt, atque illuſtrarunt, ut etiam adverſarii laniores fateantur hac in re bene meritos eſſe de Eccleſia.

Nam

Nam ſimpliciter, planè ſine ulla ſophiſtica, proponimus Evangelii ſententiam de pœnitentia, ut intelligant homines, quomodo ad Chriſtum redire debeant, quomodo conſequantur remiſſionem peccatorum, qui cultus, quæ opera placeant Deo. Primùm docemus neceſſariam eſſe contritionem, hoc eſt, veros terrores & dolores animi, qui agnoſcit iram Dei, & dolet ſe peccaſſe, & deſinit malà perpetrare. Etſi autem hi dolores neceſſarii ſunt, tamen ſciendum eſt remiſſionem peccatorum non dari propter dignitatem contritionis ſeu horum dolorum: Sed addenda eſt fides, hoc eſt, fiducia miſericordiæ promiſſæ propter Chriſtum, & ſtatuendum eſt gratis remitti peccata propter Chriſtum.

Cùm hac fide in terroribus illis erigimur, conſequimur certo remiſſionem peccatorum, ſicut ſuprà oſtendimus. Et hanc fidem concipiunt animi ex Evangelio. Item ex Abſolutione, quæ Evangelium annuntiat & applicat perterrefactis conſcientiis. Ideoque docent noſtri retinendam eſſe in Eccleſiis privatam abſolutionem, & ejus dignitatem, & poteſtatem clavium veris & ampliſſimis laudibus ornant, quod videlicet poteſtas clavium adminiſtret Evangelium, non ſolùm in genere omnibus, ſed etiam privatim ſingulis; ſicut Chriſtus inquit, *Lucratus erit fratrem*, &c. Et quod voci illi Evangelii, quod miniſterio Eccleſiæ nobis in Abſolutione adminiſtratur, credendum ſit, tanquam voci de cœlo ſonanti.

Hoc totum beneficium Abſolutionis & hujus miniſterii antea fuit omnino obſcuratum falſis opinionibus illorum, qui docuerunt Abſolutionem non valere, niſi ſufficienter contriti ſimus. Et poſtea jubebant dubitare de Abſolutione, quia nemo ſciret ſe ſatis contritum eſſe. quid fuit hoc aliud, quam Evangelii conſolationem eripere conſcientiis, & tollere ex Eccleſia ac prorſus abolere miniſterium Evangelii, ſeu poteſtatem clavium? Quis non videt hos tam pernicioſos errores merito reprehenſos eſſe?

Cùm autem Confeſſio præbeat locum impertiendæ abſolutioni privatim, & ritus ipſe intellectum poteſtatis clavium & remiſſionis peccatorum conſervet in populo, præterea cum illud colloquium magnopere proſit, ad monendos & erudiendos homines, diligenter retinemus in Eccleſia Confeſſionem; ſed ita, ut doceamus enumerationem delictorum

non eſſe neceſſariam jure divino, nec onerandas eſſe conſcientias illa enumeratione. Nullum enim extat in Scripturis Apoſtolicis præceptum de hac enumeratione. Et omnium delictorum recitatio impoſſibilis eſt, juxta illud Pſalmi, *Delicta quis intelligit?* Item Jeremias ait, *Pravum eſt cor hominis & inſcrutabile.* Quod ſi nulla peccata, niſi recitata, remitterentur, nunquam poſſent acquieſcere conſcientiæ, quia plurima peccata neque vident, neque meminiſſe poſſunt. Qua ex re facilè intelligi poteſt, miniſterium abſolutionis, & remiſſionem non pendere ex conditione enumerationis.

Teſtantur & veteres ſcriptores, non eſſe neceſſariam enumerationem. *Chryſoſtomus* enim in Epiſtola ad Hebræos inquit: *Perſuadeamus nobis peccaſſe nos, nec id lingua tantum pronuntiet, ſed etiam intima conſcientia: nec tantum dicamus, nos eſſe peccatores, ſed etiam peccata ſpecialiter computemus. Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque te ut apud alios accuſes, ſed obedire te volo Prophetæ: Revela Domino viam tuam, coram Deo peccata tua confitere. Apud verum Iudicem cum oratione delicta tua pronuntia, non lingua, ſed conſcientiæ tuæ memoria, & tunc demum ſpera te miſericordiam poſſe conſequi.* Hæc Chryſoſtomi concio nō ſolùm docet, quid de enumeratione ſentiendum ſit, ſed etiam graviſſimè conjungit contritionem & fidem, ſicut nos conjungimus: Jubet primùm ut peccata verè agnoſcamus, & ex animo deteſtemur; deinde docet addendam eſſe orationem ac fidem, quæ ſtatuant nobis ignoſci. Et alio loco ait, *Peccata tua dicito ut deleas Si pudet dicere, quod peccaveris, dicito quotidie in anima tua: Non dico ut confitearis ea ſervo, ut exprobret: Dico Deo, ut curet ea.*

Fatetur & gloſſa in Decretis, de pœnitentia diſtinct. 5. *Confeſſionem inſtitutam eſſe ab Eccleſia, nec præcipi eam Scripturis Veteris & Novi Teſtamenti.* Idem plerique doctores ſenſerunt. Quare ſententia noſtra de Confeſſione, neque nova neque abſurda eſt.

(Z.) *Poſtremo*, de ſatisfactionibus vel maximè opus fuit moneri pias mentes. Nam ſatisfactiones plus etiam incommodi habuerunt, quàm illa enumeratio. Obſcurabant enim beneficium Chriſti, quia indocti putabant ſe remiſſionem culpæ conſequi propter illa propria opera: deinde ſi quid in his erat omiſſum, conſcientiæ perturbabantur. Item, diligebantur cæremoniæ, peregrinationes, & hujus generis alia inuti-

inutilia opera, non mandata divinitus. Et his fingebant ipſi doctores compenſari mortem æternam.

Itaque duximus pias mentes liberandas eſſe his erroribus, & docemus ſatisfactiones, videlicet Canonicas illas, quas ipſi vocant *opera indebita*, & c. nec ad remiſſionem culpæ, nec ad remiſſionem pœnæ æternæ prodeſſe, nec eſſe neceſſarias. Olim in Eccleſia mos fuit in publica pœnitentia, non recipere lapſos ad Eccleſiam redeuntes, niſi addita aliqua mulcta, exempli cauſa. Ab illo more ſunt ortæ ſatisfactiones: ſed veteres illo exemplo volebant populum a peccando deterrere, non ſentiebant cæremoniam illam eſſe compenſationem culpæ, vel æternæ mortis, vel Purgatorii. Hæc poſtea affinxerunt homines indocti.

Sed veteres illi mores tempore conſenuerunt, & antiquati ſunt. Nos igitur non oneramus conſcientias ſatisfactionibus, ſed illud docemus, fructus pœnitentiæ neceſſarios eſſe, obedientiam, timorem Dei, fidem, dilectionem, caſtitatem, & univerſam novitatem ſpiritus debere in nobis creſcere.

Monemus & illud, ſæpe puniri peccata etiam temporalibus pœnis in hac vita, ut David, Manaſſe, & alii multi puniti ſunt. Et has pœnas mitigari docemus bonis operibus, & univerſa pœnitentia, ſicut docet Paulus, *Si nos ipſos judicaremus, non judicaremnr à Domino.* Et pœnitentia meruit, ut Deus ſententiam de delenda Ninive mutaret.

Ita, cùm antea diſputationes de pœnitentia fuerint inextricabiles, & plenæ abſurdarum opinionum, nunc repurgata doctrina ita traditur populo, ut intelligi poſſit, & proſit ad pietatem. Retinemus & illuſtramus veras pœnitentiæ partes, Contritionem, Fidem, Abſolutionem, Remiſſionem peccatorum, Emendationem totius vitæ, Mitigationem præſentium Pœnarum.

Ac ſperamus bonos viros in hoc loco non ſolùm nihil reprehendere, ſed etiam gratiam habere his qui repurgarunt hanc doctrinæ Chriſtianæ partem, quam prodeſt in Eccleſiis extare quàm planiſſimè explicatam atque illuſtratam. Chriſtus inquit, *Angelos in cœlo lætari, cum vident inſipiſcere peccatorem.* Itaque gratulantur Eccleſiæ, & ipſi Angeli puram de pœnitentia doctrinam.

§. 1. *Reformatio hujus Articuli.*

1. (Y. Credimus quod *ſi confiteamur peccata noſtra, Deus fidelis eſt & juſtus, ut remittat peccata noſtra & emundet nos ab omni iniquitate* 1. Joh. 1. v. 9. Sed poſt Deum confitendum hominibus poteſtatem habentibus, quibus *dati ſunt claves regni cœlorum*, Mat. 16. & 18. nam his dictum, *quorum remiſeritis peccata remittentur eis, & quorũ retinueritis retenta ſunt.* Joh 20. v. 20. *Poſuit enim in his verbum reconciliationis, qui pro Chriſto legatione funguntur.* 2. Cor. 5. v 19. Unde Jacobus fidelibus præcipit *confitemini alterutrum peccata veſtra*, Jac. 5 Quod præceptum jam Apoſtolorum tempore obſervatum, quando *multi credentium veniebant & annuntiabant actus ſuos*, Act. 19. v. 18. ideoque divinum, ac neceſſariò obſervandum eſt.

2. (Z) Credimus in ſatisfactionem pro peccato ſacerdoti imperatum: *efferet pro peccato ſuo vitulum immaculatum Domino*, Lev 4. v. 3. temere juranti, *efferat de gregibus agnam, vel duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino, unum pro peccato*, &c. Lev. 5. v. 6. Ita & David cum peccaſſet, audiſſetque *tranſtulit Dominus peccatum tuum*, 2. Reg. 12. morte tamen filii punitur, nec deſiit orare: *amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me; quoniam peccatum meum contra me eſt ſemper Sed ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies* Pſal. 50. Quæ enim ſecundũ Deum *eſt triſtitia, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Ecce enim hoc ipſum ſecundum Deum contriſtari, quantam in vobis operatur ſolicitudinem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam. In omnibus exhibuiſtis vos incontaminatos eſſe negotio* 2. Cor. 7. v. 10. Sic juſto ultionis in ſe zelo, *confitentes, qui fuerãt curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus.* Act. 19. v. 19. Agnoſcit ſapiens, quod *miſericordia & veritate redimitur iniquitas.* Prov. 16. v, 6. & Chriſtus monet. *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Luc. 11. v. 41. quia *eleemoſyna ab omni peccato liberat.* Tob. 4. v 11. Et ſi impio Nabuchodonoſori rectè ſuaſum, *peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperũ.* Dan. 4. v. 24. ſi de Ninivitis dictum: *Vidit Deus opera eorum, quia converſi ſunt de via ſuâ mala & miſertus eſt.* Joan. 3. v. 10. quantò magis juſto miſerebitur, dicentis, *adimpleo illa, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea*

pro

pro corpore ejus quod eſt Eccleſia. Col.1. v.24. ut per illum, *qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo, peccatis mortui, juſtitia vivamus.* 1. Pet. 2.

3. Credimus & in futuro ſeculo remiſſionem, ac retentionem pœnæ dari, nam *qui dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro* Matt. 12. v.32 & *uniuſcujuſque opus quale ſit ignis probabit, ſi cujus opus arſerit, detrimẽtum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*, 1. Cor. 3. Unde etiam reperiuntur, *qui baptizentur pro mortuis*, 1. Cor. 15. v.19. & monemur, quod *ſancta & ſalubris cogitatio ſit, pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur* 2. Mach. 12. v.46.

§. 2. *Obſervatio ad hunc Art.*

(X.) MIrum eſt quod Confeſſio aſſerat, nihil certi de remiſſione peccatorum apud Catholicos tradi, altiſſimumque de fide ſilentium eſſe. Sic loquitur Trident. ſeſ. 6. c.2. cum Paulo *Hunc* (Chriſtum) *propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris*, Rom. 3. v.75. Illud tamen cum Auguſtino lib. de fide & oper. c.14. addimus: *excutiendum eſt à cordibus religioſis, ne mala ſecuritate ſuam ſalutem perdant, ſi ad eam obtinendam ſufficere ſolam fidem putaverint.* Rurſum non jubemus quenquã de remiſſione peccati dubitare; ſed cum Auguſtino ex S. Literis dicimus (de perfectione juſtitiæ c.15.) *Quantalibet juſtitia ſit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipſe non videt, inveniatur eſſe culpandum, cum Rex juſtus ſederit in throno* Prov. 20. *cuius cognitionem fugere delicta non poſſunt: nec illa, de quibus dictum eſt: Delicta quis intelligit?* Pſ. 18.

In Lutheranorum fide David non potuiſſet dicere, *ab occultis meis munda me.* Pſ. 18. Cum certo teneret omnia ſibi eſſe remiſſa. Non igitur imperamus dubitationẽ de ſalute; ſed noxiam præſumptionẽ de certa remiſſione damnamus: Quare tamen conſolationem non eripimus. Sed cum D. Bernardo ſentimus, & dicimus. *Felix mens, cui ſemel Dominus Ieſus utrumque infixerit pedem, ut ſunt timor, & ſpes: ille iudicii, iſta miſericordia repræſentans imaginem. Merito beneplacitum eſt Deo ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſercordia eius* (Pſal. 146.) *cum ſapientia timor initium ſit*, (Prov. 1.) *ſpes profectus: nam conſummationem ſibi charitas vendicat.* ſerm. 6. in cant. Ita cum ve-

teri Eccleſia ac nobiſcum loquantur, & concordia erit. Omnem fiduciæ ac ſpei divinæ ſecuritatem, quæ cum hoc timore Domini poteſt conſiſtere, libenter admittemus.

(Y.) De conjuncto ad pœnitentiam & contritionem terrore & fide vidimus Art. XI. Quod hic abſolutionem cum agnitione clavium in Eccleſia adjiciant, gratum eſt; ſed hanc in ſola prædicatione, ſeu annuntiatione remiſſionis Evangelio credentibus facta conſiſtere, non patitur ſcriptura S. quæ poteſtatem remittendi, & retinendi diſertè Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus tradit, tanquam legatis cauſæque cognitoribus ac judicibus, qui inter lepram & lepram dijudicare tenentur. Unde etiam diſtincta peccatorum, quorum ſibi quiſque conſcius eſt, expoſitio requiritur, cùm citra hanc nemo diſcernere poſſit, an remitti, an retineri debeant, atque ineptum ſit, eandem de otioſis verbis, ac de adulteriis ſententiam pronuntiari. Grave vulnus, graviori medicina curandum eſt.

Quis adulterum obligabit in hoc foro ad amicam dimittendam, furem ad reſtituendum, aut negabit abſolutionem recuſanti, niſi aperiat; An non æquum eſt, ut hoc præ aliis opere graveretur tam profligata conſcientia? Quo fine Siracides admonet: *non confundaris confiteri peccata tua? & pro anima tua ne confundaris dicere verum, eſt enim confuſio adducens gratiam & gloriam*: Eccli. 4. v. 25. & 31. An non hæc gravioribus peccatoribus inculcat, qui ſi eo ſolum graventur onere omnium, ut ſe peccatores confiteantur (quod nemo hominum erubeſcit, cum notiſſimum ſit, imò fide certum, & confeſſionis non egens) quæ poteſt hic confuſio juſta formidari? quæ libertas peccandi non offertur hominibus, tanto etiam confeſſionis confuſioniſque timore nondum ſatis coercitis? Hoc ex Lutheranis agnoverunt illi, qui proſcriptam ſuis templis Confeſſionem poſtliminiò reducere ſunt conati.

Verùm ut intelligant, non ſolam Confeſſionem, ſed & abſolutionem omnem à pœnitentia ſe excludere adverſarii. Sic illud evinco. Ibi nulla poteſt eſſe peccatorum abſolutio, ubi certum eſt remiſſa eſſe peccata; ſed Lutheranis fidelibus certum eſt fide divinâ, ſibi remiſſa eſſe peccata: Ergo nulla illic poteſt eſſe peccatorum abſolutio. Imò nemo fidelium apud illos poteſt confiteri ſe eſſe peccatorem, niſi fidem ſuam abneget, hoc eſt, credat ſibi nondum remiſſa eſſe peccata, aut

certè

certè ea de re dubitet, quod eſt fiduciam amittere. Quid igitur apud hos facit abſolutio, niſi quod vel actum agat, vel fidem deſtruat? An hæc præclara illa eſt poteſtas clavium propter quam dictum: *accipite Spirit. S. quorũ remiſeritis peccata remiſſa ſunt, quorum retinueritis retenta ſunt?* Et quid retinere Sacerdos unquam poterit, quod jam fide ſola remiſſum aſſerunt? (NB.) Denique valeat talis abſolutio, quomodo ſurdus illa frui poterit, cum in ſola prædicatione conſiſtat? Quid fides præſtat, ſi illa rem peragit? an fortaſsè hanc remiſſionem inter ſe partiuntur auditor verbi, & prædicator, quia fides ſola nõ ſufficit? aut ſi ſufficit, otioſa abſolutio eſt. Poteſtas igitur remittendi umbra, nõ res eſt. Poſtremò, ut errorem totum detegam, quæro: an quod Jonæ 3. dictum admittunt: *Crediderunt viri Ninivitæ in Deum, & prædicaverant jejunium & veſtiti ſunt ſaccis.* Fidem igitur habuerunt, priuſquam pœnitentiam agerent, & à Deo abſolutionem impetrarent. Nam ſequitur. *Quis ſcit ſi Deus convertatur & ignoſcat*, credebant itaque nondum certi de remiſſione. En quanta adverſariorum confuſio, ubi ſe novam lucem ad hanc doctrinam contuliſſe gloriantur.

Chryſoſtomum produci mirum eſt, quando ut verba ipſa ſonant, *non te prodas in publicum, & ſervo, qui exprobret*, clarum eſt publicam confeſſionem olim uſitatam improbare. Et de eâdem, gloſſa in decretis etiam accipi poterit. Quanquam illius apud nos auctoritas levis ſit, quidunque demum ſenſerit. Ceterum falsò Catholicis imponitur, *quod jubeant dubitare de abſolutione quaſi nemo ſciat, an ſatis ſit contritus.* Nam imperfectam contritionem virtute ſacramenti, ac per merita Chriſti ſuppleri tradunt, ut Trident. ſeſ. 14. cap. 4. ſufficitque ad hanc timore infligendæ à Deo pœnæ, à peccato averti, qui dolentis motus penè eſt palpabilis. Deinde non eſſe certum de contritione & remiſſione, certitudine infallibili revelationis ex verbo Dei (quod nos docemus) & dubitare de ſua contritione aut remiſſione, tantùm inter ſe diſtant, quantum res & negatio rei intervallo penè infinito. Nam non eſſe certum de fide, eſt tantum negatio certitudinis fidei; at dubitare de remiſſione peccati, eſt actus poſitivus fluctuantis animi. Diſtant itaque hæc duo, uti res, & non res. Utque familiari illud exemplo utcunque pateat, aliud eſt arcem, vel arborem robuſtiſſimam nõ habere eam firmitatem, ut nulla tempeſtate quaſſari poſſit:

aliud eſt, illam facto ipſo concuſſam tempeſtate fluctuare, hoc vix in ſeculo inter mille arces factum reperias: illud tamen in omnibus fuiſſe ſemper. Quæ igitur perverſitas eſt, tam diſparata ex Catholicorum doctrina per ineptas conſequentias inducere, & hæc pro illorum axiomate venditare? Quoties enim hoc ipſum tota Confeſſione hac repetitum non legimus? Judicent adverſarii quo conſilio hæc facta ſint. Si enim ignorantia hæc fuit, craſſa eſt; ſi malitia, longè craſſior.

(Z) Jam de ſatisfactione pro peccatis eliminata, quâ obſcurari beneficium Chriſti, & conſcientias perturbari aſſerit, mirificè ſibi plaudit Confeſſio, ut etiã Angelos de cœlo gratulari Eccleſiæ ſuæ hanc de Pœnitentia doctrinam exiſtimet. Sed verius hic illud uſurpabimus: *Angeli autem pacis flebant*, ſublata omni ſatisfaciendi pro delictis admiſſis cura. Quid enim? an non manifeſtiſſima repugnat utriuſque Teſtamenti ſcripturæ? Elide, ſi potes, ſatisfactoria V.T. pro peccato ſacrificia: aufer, poſt remiſſum peccatum, jejuniorum, orationum afflictionumque aliarum in Davide ſacrificia, tolle triſtitiam vindictamque de peccato ortam ſumptamque fideliũ Corinthiorum, libros exuſtos, eleemoſynas datas, quibus peccata redemerunt &c. His certè ſtantibus manebit ſatisfactio. Dic, quid Paulus in ſe aliiſque adimplevit? Defuitne aliud perfectiſſimæ ſatisfactioni Chriſti, quàm quod ſufficiens pro mundo univerſo, ſingulis tantum applicata nõ eſſet? Hoc eſt adimplere, hoc ſatisfacere, *hoc fac, & vives*. Nunc ſi ratione ſimul & ſcriptura diſceptemus; quid magis illi conforme, quam aliquod diſcrimen habere delictorum, & graviores à gravius delinquentibus pœnas exigere? nam *ſervus qui cognovit volũtatem Domini ſui, & non fecit ſecundum voluntatem eius, vapulabit multis*: qui autem non *cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis*. Luc. 12. v. 47. Quæ cauſa? an non culpæ diverſitas, diverſæ pœnæ cauſa eſt? Quis igitur hæc diſtingui neget, tanquam cauſam & effectum, adeoque culpa ſublata, pœnam relinqui poſſe, ſatisfactione, ſeu paſſione, cum *vapulabit*, expiandam? Ipſa Auguſtana Cõfeſſio denique fatetur pœnas temporales, remiſſa culpa, relinqui, atque has ipſas bonis operibus mitigari, ex Apoſtolo docente, *ſi nos ipſos judicaremus, à Domino non judicandos*. Et hoc ſolum eſt, quod ſatisfa-

ctionis nomen apud nos jure accipit. Neque enim (quod ſtupenda profus fingendi audacia nobis imputatur) pœnas æternas, vel remiſſa manere culpa, vel noſtris expiari operibus nunquam apud Catholicos ſomniatum eſt. Si temporalium *mitigationem pœnarum*, ut ajunt, *per opera bona* admittant, tanquam partem pœnitentiæ ſuadente Paulo, ſatisfactionem nobiſcum admittunt, & concordia eſt. Sed tum pugnans hoc eodem articulo doctrina eſt ſubmovenda, ut ſatisfactiones non eſſe neceſſarias, peregrinationes inutiles, veteres ſatisfactionibus publicis voluiſſe tantum alios deterrere à peccato, non pœnam reatus eluere: non adhibenda expiationi niſi mandata à Deo opera, ad eluendas Purgatorii pœnas nihil illa conferre &c. Hæc enim velut ex tabula legum recitantur, nulla firma ratione, nulla Scripturæ S. autoritate munita. Monemus igitur, hic verbo Dei ſupra n. 2. & 3. à nobis allato inhærendum eſſe. Et ſi mentem veteris Eccleſiæ hac ſuper re penetrare cupiant, ſolus Cyprianus qui *de Lapſis* ex profeſsò hoc argumentum tractat, aut etiam Chryſoſtomus hom. 6 in Joh. ſufficere poterit. Ipſi etiam centuriatores cum Kemnitio fatentur, Patres ferè omnes agnoſcere ſatiſfactionem, quâ Deus placetur & peccata redimantur. Si igitur, nec ſcriptura, nec ratio, nec Patres in tam inſolenti doctrina ſuffragantur: quid diutius oblectantur? Redeant unde exierunt? Lætabuntur Angeli, cum viderint reſipiſcere.

ARTICULUS IV.

De diſcrimine ciborum, & ſimilibus Traditionibus Pontificiis.

[A.] IN hac corporali vita opus eſt traditionibus, hoc eſt, locorum ac temporum diſcriminibus, ut ordine gerantur res in Eccleſia, ſicut præcipit Paulus, *ut omnia fiant ordine, & ita, ut decet.* Ideò & Eccleſia habet traditiones, hoc eſt, conſtituit quibus temporibus, ubi convenire populus debeat. Ad hunc civilem finem licet condere traditiones. Sed homines imperiti doctrinæ Chriſtianæ, non ſunt hoc fine contenti, ſed affingunt ſuperſtitioſas opiniones traditionibus, eaſque per ſuperſtitionem ſine modo cumulant. Id queſti-

ſti ſunt accidiſſe in Eccleſia, non tantùm recentiores, Gerſon & alii quidam, ſed Auguſtinus etiam.

Quare neceſſe eſt populum admonere, quid de traditionibus, quæ humana autoritate conditæ ſunt in Eccleſia, ſentiendum ſit. Neque enim nihil cauſæ eſt cur Chriſtus & Paulus toties de traditionibus concionentur, & Eccleſiam admoneant, ut prudenter de traditionibus judicet.

Fuit autem perſuaſio publica non modò vulgi, ſed etiam docentium in Eccleſiis, diſcrimina ciborum & ſimilia opera, de quibus Eccleſiaſticæ traditiones præcipiunt, cultus eſſe Dei, quæ mereantur remiſſionem peccatorum. Item, tales cultus eſſe juſtitiam Chriſtianam, & neceſſarios eſſe, ſicut in Veteri Teſtamento Leviticæ cæremoniæ neceſſariæ fuerunt, nec poſſe ſine peccato omitti, etiam extra ſcandali cauſam. Hæ perſuaſiones multa pepererunt incommoda.

Primò Obſcurata eſt Evangelii propria doctrina, quæ docet gratis remitti peccata propter Chriſtum. Hoc beneficium Chriſti translatum eſt in illa humana opera: ac propter hanc opinionem præcipuè auctæ ſunt traditiones, quia exiſtimabantur opera illa mereri remiſſionem peccatorum, eſſe ſatisfactiones, eſſe juſtitia Chriſtiana. Porrò, maximè ob hanc cauſam, tam crebrò, tam ſeverè admonet nos Paulus de traditionibus cavendis, ne beneficium Chriſti transferretur in traditiones, ne gloria Chriſti obſcuraretur, ne conſcientiis eriperentur veræ & firmæ conſolationes; denique ne fides, hoc eſt fiducia miſericordiæ Chriſti, obrueretur. Hæc pericula caveri Paulus voluit: Maximè enim opus eſt extare in Eccleſia puram doctrinam de beneficio Chriſti, de juſtitia fidei, de conſolatione conſcientiarum.

Secundo. Hæ traditiones obſcuraverunt præcepta Dei, quia hæc pædogagia exiſtimabatur eſſe ſpiritualis & Chriſtana juſtitia. Item præferebantur humanæ traditiones præceptis Dei Chriſtianiſmus totus putabatur eſſe obſervatio certarū feriarum, rituum, jejuniorum, veſtitus Hæc πτωχὰ ςοιχεῖα erant in poſſeſſione honeſtiſſimi tituli, quòd eſſent vita ſpiritualis Item perfectio Chriſtiana. Interim mandata Dei de vocatione, nullam laudem habebāt. Quòd Paterfamilias educabat ſobolem, quòd mater pariebat, quod Princeps regebat rempublicam, hæc opera deſpiciebantur, non judicabantur eſſe cultus

Dei

Dei. Verſabantur in perpetua dubitatione mentes plurimorum, an conjugium magiſtratus & ſimiles vitæ civilis functiones, Deo placerent. Hæc dubitatio multos valde cruciavit. Multi deſerta ſua vocatione, deſerta republica, abdiderunt ſe in monaſteria, ut vitæ genus quærerent, quod arbitrabantur Deo magis placere, non quod arbitrabantur mereri remiſſionem peccatorum.

Tertio. Opinio neceſſitatis, etiam duriter exercuit conſcientias. Traditiones exiſtimabantur eſſe neceſſariæ, & tamen nemo, quamlibet diligens obſervabat omnes, præſertim cùm ſint innumerabiles. Gerſon ſcribit, multos incidiſſe in deſperationem, quoſdam etiam ſibi mortem conſciviſſe, quia animadvertebant ſe non poſſe ſatisfacere traditionibus. Et interim nullam conſolationem de gratia, de juſtitia fidei audiebant. Videmus Summiſtas & Theologos colligere traditiones, & quærere ἐπιεικείας, ut levent conſcientias. Sed ne ipſi quidem ſibi ſatisfaciunt, non poſſunt ſe ſatis extricare, interdum etiam illæ ipſæ interpretationes injiciunt laqueos conſcientiis. Et in traditionibus colligendis ita fuerunt occupatæ Scholæ & Conciones, ut non vacaverit attingere Scripturam, & quærere utiliorem doctrinam de fide, de cruce, de ſpe, de dignitate rerum civilium, de conſolatione conſcientiarum in arduis tentationibus. Itaque multi boni viri ſæpe queſti ſunt, ſe his rixis traditionum impediri, quo minus liberè verſari in meliori doctrinæ genere poſſent. Cùm igitur hujuſmodi ſuperſtitioſæ opiniones hærerent in traditionibus, neceſſe fuit admonere Eccleſias, quid de traditionibus ſentiendum ſit, errore pias mentes liberare. Mederi pavidis conſcientiis, illuſtrare beneficium Chriſti. Non hoc agimus, ut labefactetur autoritas Eccleſiaſticæ poteſtatis, non detrahimus de dignitate Epiſcoporum, non diſſipamus ἀταξίαν Eccleſiæ. Rectè intellectæ traditiones magis amantur: Sed illæ Judaicæ opiniones tantùm reprehenduntur. (B.) Sic igitur docemus de cæremoniis, humana autoritate conditis in Eccleſia. Primùm de traditionibus, quæ pugnant cum mandatis Dei, aut non poſſunt obſervari ſine peccato, ſequenda eſt regula Apoſtolorum: *Oportet Deo magis obedire, quam hominibus.* Talis eſt traditio

ditio de cœlibatu. Deinde de reliquis cæremoniis quæ ſūt ſuâ natura res mediæ ſeu indifferentes, ut jejunia, feriæ, diſcrimina veſtitus, & ſimiles. Sciendum eſt, tales obſervationes nec mereri remiſſionem peccatorum, nec juſtitiam, nec perfectionem Chriſtianam eſſe: ſed res eſſe adiaphoras, quæ extra ſcandali caſum omitti poſſunt.

Teſtimonia hujus ſententiæ plana & clara ſunt in Evangelio & diſputationibus Pauli. Nam Spiritus Sanctus duxit *operæ pretium eſſe, ut diligenter de hac re moneret Eccleſiam, ne ſuperſtitioſis opinionibus obrueretur Evangelium.*

Roman. 14. *Regnum Dei non eſt eſca aut potus; Sed juſtitia, pax & gaudium in Spiritu Sancto.* Hic ſatis clare docet Paulus, juſtitiam Chriſtianam eſſe motus ſpirituales cordis, non eſſe externas obſervationes ciborum, dierum, &c.

Coloſſ. 2. *Nemo judicet vos in cibo, potu, aut parte diei feſti.* Vetat, judicari conſcientias, hoc eſt, condemnari conſcientias in uſu talium rerum, ſed prorſus vult haberi pro rebus indifferentibus, & quæ non pertinent ad juſtitiam Evangelii. Et deinde longa & gravis concio eſt, & de Moſaicis ritibus, & de cæremoniis inſtitutis humana authoritate. loquitur enim Paulus de utroque genere nominatim. Negat eam eſſe juſtitiam Chriſtianam, & vetat conſcientias onerare talibus traditionibus. *Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, quare tanquam viventes in mundo decreta facitis: Ne attingas, ne guſtes, ne contrectes.*

Matth. 15. *Omne quod intrat in os, non coinquinat hominem.* Et quidem ibi excuſat Apoſtolos violantes uſitatam traditionem, & addit ſententiam memorabilem: *Fruſtra colunt me mandatis hominum.* Negat eſſe veros & utiles cultus ad juſtitiam coram Deo: quare non ſunt juſtitia Chriſtiana, nec ſunt neceſſarii cultus. Atqui conſtat in Eccleſia humanos cultus mirum in modum hactenus creviſſe. Quotidie cumulabant Monachi cæremonias, novis & ſuperſtitionibus & aucupiis. Et hæ nugæ putabantur eſſe præcipui cultus Dei, præcipua pietas, cùm Chriſtus tam gravi oraculo vetet humanas cæremonias haberi pro cultibus. Non enim prohibet condere traditiones ad finem politicum, hoc eſt, propter bonum ordinem, ſed cultus eſſe negat, cùm ait; *Fruſtra colunt me.* Et docet veros cultus eſſe opera divinitus præcepta. Timorem,

Timorem, fidem, dilectionem, patientiam, caſtitatem, parere vocationi, facere officium, &c.

Act. 15. ait Petrus. *Quare tentatis Deum, imponentes jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus, ſed per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus: ſalvari, quemadmodum & illi.* Hic docet Petrus contingere nobis remiſſionem peccatorum, & ſalutem propter Chriſtum, non propter Moſaicos aut ſimiles ritus. Et admonet, graviſſimè peccare illos, qui conſcientias onerant talibus obſervationibus. Nec enim levis eſt reprehenſio, cùm inquit, *Quid tentatis Deum?*

Et 1. Timoth. 4. vocat *prohibitionem ciborum conjugii, & ſimiles traditiones, doctrinas dæmoniorum.* Quare autem tam atroci convitio uſus eſt? Non voluit nullas prorſus fieri ordinationes, nulla ſervari diſcrimina locorum, temporum, Sed tunc ſenrit eſſe doctrinas dæmoniorum, quando in eas transfertur beneficium Chriſti, quando habentur pro juſtitia, item pro neceſſariis cultibus, quando affingitur opinio neceſſitatis, & cruciantur conſcientiæ, & excutitur eis fides. Hæc incommoda volunt caveri Chriſtus & Apoſtoli. Ideoque toties tam vehementer adverſus traditiones concionantur. Ac mirum eſt illis fulminibus nihil moveri eos, qui ſuperſtitioſas opiniones traditionum defendunt.

Sunt autem duplices traditiones, quædam flagitant opera palàm pugnantia cum lege divina, ut prohibitio conjugii, neceſſe eſt autem in Eccleſia extare hanc regulam: *Oportet Deo magis obedire, quam hominibus.* Ideò Conſtat talibus traditionibus humanis nequaquam eſſe obtemperandum. Aliæ loquuntur de rebus ſua natura adiaphoris, ut de cibo, veſtitu, & ſimilibus rebus. Hæ traditiones fiunt impiæ, cùm proponuntur cum his opinionibus, quod mereantur remiſſionem peccatorum, quod ſint res neceſſariæ, quod ſint cultus Dei, id eſt officia, quorum finis immediatus ſit, ut per ea Deus honore afficiatur. Has peſtiferas opiniones neceſſe eſt in Eccleſia taxari. Ac propter has opiniones humani ritus inutiles ſunt abjiciendi, ut diſcrimina ciborum, monaſticus veſtitus, & ſimiles mores ſuperſtitioſi, ut Ezechias æneum ſerpentem combuſſit, cùm videret eum à multis coli. (C.) Sed quia hæc ſocietas hominum in hac corporali vita habet opus ordine, poſſunt aliqui ritus utiles ad hunc finem

nem politicũ retineri ſine ſuperſtitioſis opinionibus, hoc eſt, ne judicentur eſſe cultus, aut res neceſſariæ, ut populus ſciat, quando cœtus in templis convenire debeat ad conciones, & ad uſum Sacramentorum. Oportet enim miniſterium illud eſſe publicum. Prodeſt certa tempora conſtitui. Ita ſervantur apud nos feriæ diei Dominici & pleræque aliæ: retinentur uſitata hiſtoriarum diſcrimina in cantionibus, Natalis Dominici, Paſchatis, feſti Aſcenſionis, Pentecoſtes, & aliis. Et magis amat populus has ipſas cæremonias, poſtquam conſcientiæ liberatæ ſunt periculo, & illis injuſtis oneribus, de quibus olim Monachi & Canoniſtæ vociferabantur: & è regione utilitas monſtrata eſt, quòd hi ritus ſerviant miniſterio Evangelii. Item admoniti ſunt homines, finem eſſe politicum harum ordinationum. Hæc dextra interpretatio traditionum, reddit eas gratiores moderatis animis. Et quanquam opinio neceſſitatis & cultus detrahitur, tamen ſatis munitæ ſunt, quia docemus in Eccleſiis emendatis, utiles cæremonias ſervire miniſterio Evangelii: quare qui petulanter & cum ſcandalo has cæremonias violant, hoc eſt, qui impediunt miniſterium Evangelii, hos peccare dicimus. Certè modum traditionum eſſe neceſſe eſt, conſcientiis conſuli oportet, ut intelligant humanos ritus, nec res neceſſarias, nec juſtitiam eſſe.

Hæc libertas, de qua hic dicimus, non fuit ignota Patribus. Auguſtinus enim inquit, *Totum hoc genus rerum liberas habet obſervationes*; & in hanc ſententiam multa diſputat. Irenæus inquit, *Diſſonantia jejunii non diſſolvit fidei conſonantiam.* Tripartita Hiſtoria multa colligit exempla diſſimilium rituum, & addit egregium Epiphonema: *Mens Apoſtolorum fuit, non de diebus feſtis ſancire, ſed prædicare bonam converſationem & pietatem.* Sed nihil opus eſt in re manifeſta colligere multa teſtimonia. Verùm hic vociferantur Adverſarii, labefactari hac doctrina diſciplinam, effici ἀναρχίαν. Item aboleri bona opera & mortificationem carnis, juxta Joviniani dogma. Has calumnias partim jam refutavimus. Non enim fit ἀναρχία, nec labefactatur publica diſciplina, cùm traditiones, quarum finis eſt politicus, ſervandas eſſe doceamus. Docemus & ſcandala cavenda eſſe. Sed de mortificatione carnis ſic reſpondemus, Vera & non ſimulata mortifi-

catio

catio eſt, tolerare crucem, verſari in periculis, ærumnis, & afflictionibus. Hujus generis obedientia eſt cultus Dei, & opus ſpirituale, ſicut docet Pſalmus: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*, &c. Docemus præterea, aliud genus exercitiorum neceſſarium eſſe. Quilibet Chriſtianus etiam corporali diſciplina, laboribus, temperantia, meditatione divinarum rerum, & aliis exercitiis aptis ætati, coërcere carnem debet. Horum finis proprius ac proximus eſſe debet, ne ſaturitas aut deſidia extimulet ad peccandum, & ut mens admoneatur, & fiat aptior ad effectus ſpirituales. Non eſt ſentiendum, hæc exercitia cultus eſſe, qui mereantur remiſſionem peccatorum, aut ſatisfactiones eſſe, &c. Et hæc diſciplina debet eſſe perpetua, nec poſſunt præſcribi certi dies pariter omnibus. De hac diſciplina inquit Chriſtus: *Cavete, ne corpora veſtra graventur crapula.* Item: *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, niſi jejunio & oratione.* Et Paulus ait: *Caſtigo corpus meum, & redigo in ſervitutem.* Itaque non vituperamus jejunia, ſed ſuperſtitioſas opiniones, & laqueos conſcientiarum in traditionibus. Porrò hæc exercitia, cùm ad illum finem referuntur, ut habeamus corpora obnoxia ad res ſpirituales, & ad faciendum officium juxta vocationem &c. ſunt in piis bona opera, ut teſtatur Danielis exemplum. Sunt enim opera quæ ad hunc finem requirit Deus, ut carnem coërceant.

§. 1. *Reformatio. Art. IV.*

1. Credimus, de gentium & Iudæorum ritibus Paulum recte mònuiſſe: *Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum. Et nemo vos judicet in cibo, & potu, & parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum, quæ ſunt umbra futurorum. Nemo vos ſeducat volens in humilitate & religione Angelorum. Ne tetigeritis, neque guſtaveritis, neque contrectaveritis, quæ ſunt omnia in interitum ipſo uſu, ſecundùm præcepta, & doctrinas hominum.* Col. 2. v. 8. 16. 21. tamen de chriſtianis ritibus præſcriptis, & Apoſtolos & eorum ſucceſſores audiendos credimus. *Laudo*, ait ad Corinthios, *vos fratres, quòd per omnia mei memores eſtis: & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. Itaque fratres, dum convenitis ad man-*

ad mandulandum, invicem exſpectate. Si quis eſurit, domi mandu-ducet, ut non in judicium conveniatis. Cetera autem, cùm venero, diſponam. 1 Cor. 11. v 2. & 13. *Fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.* 2. Theſſ. 2. v. 14. *Fratres, æmulamini prophetare, & loqui linguis nolite prohibere: omnia autem honeſtè & ſecundum ordinem fiant.* 1 Cor. 14. v. 39. Ita idem Apoſtolus, *confirmans Eccleſias, præcipiebat eis cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & NB. Seniorum.* Act. 15. ℣. 41. ita & alibi, *cùm pertranſirent civitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ NB. decreta erant ab Apoſtolis, & ſenioribus, qui erant Ieroſolymis.* Act. 16. v. 4.

2. Credimus, has traditiones à Spiritu S. in Eccleſia profectas, quamdiu non abrogantur, manere neceſſarias. Hinc Apoſtoli: *Viſum eſt Spiritui S. & nobis, nihil ultra vobis imponere oneris, niſi hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, à ſuffocato, & ſanguine.* Act. 15. v. 20. Sed poſtea moderari, & laxare placuit. *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam Si quis autem dixerit, hoc immolatum eſt idolis, nolite manducare, propter illum, qui indicavit.* 1 Cor. 10. v. 25. & 28 Univerſè hîc audiendi ſunt, *quos Spiritus S. poſuit regere Eccleſiam Dei.* Act. 20. v. 28. *Non eſt enim poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt; itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Ideò neceſſitati ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Rom. 13. v. 2. & 5. *Dei* voces ſunt, *qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit.* Luc. 10. *Per me legum conditores juſta decernunt; ſunt enim miniſtri Dei.* Prov. 8. v. 15. Unde in V. T. ſancitum: *Qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis morietur homo iſte.* Deut. 17. v. 12. Quare quæ à tali poteſtate ordinantur & imperantur, non tam hominum, quàm Dei ordinationes & imperia habentur, ideòque à ſubdito judicari, & omitti liberè nequeunt.

3. Credimus, quòd *bona ſit oratio, cum jejunio & eleemoſyna, magis, quàm theſauros auri recondere* Tob. 12. ideoq; ſic rectò coluiſſe Deum, *Eſther* 4. *v.* 1. *Iudith.* 4. *v.* 12. Annam quæ Deo *jejuniis & obſecrationibus ſerviebat die ac nocte.* Luc. 2. v. 37. Rectè & Daniel ad placandum Deum ciborum diſcrimine uſum, quando *trium hebdomadarum diebus panem deſiderabilem non comedit, & caro, & vinum non introierunt in os ejus.* Dan. 10.

Dan. 10. v. 3. rectè Baptiſtam *melle* tantùm *ſilveſtri & locuſtis paſtum; pilis verò camelorum veſtitum; ad prædicandam* verbo & exemplo *pœnitentiam.* Matth. 3. v. 4. &c. Rectè ad colendum Deum, *Nazaræos abſtinuiſſe ab omnibus, quod inebriare poteſt.* Num. 6. v. 3. Rectè idem *Rechabitis* eo fine *à Ionadab* parente, *in perpetuum* imperatum. Rectè & ſacerdotibus: ad avertendas vaſtitatis pœnas dictum: *Accingite vos, & plangite Sacerdotes, cubate in ſacco, ſanctificate jejunium.* Joel. 1. v. 13. Rectè præcepiſſe Regem Ninive ad remiſſionem impetrandam: *Operiantur ſaccis homines & jumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & convertatur vir à via ſua mala, quis ſcit, ſi convertatur, & ignoſcat Deus?* cui reſpondit eventus: nam *vidit Deus opera NB. eorum, quia converſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt, &c.* Jon 3. v. 8. Ipſum denique *Chriſtum* rectè *jejunium quadrageſimale* ſuo exemplo ſanctificaſſe. Ut quantum vires noſtræ ſinunt, has, vel ultroneas, vel imperatas afflictiones tolerare ad honorem ipſius, gratus Deo cultus ſit, ad culpæ etiam remiſſionem diſponens, pœnam expians, & gratiam impetrans.

§. 2. *Obſervatio ad Art. IV.*

(A.) HÆc Scriptura S. abundè corrigit errores Confeſſioniſtarum, qui hoc loco planè non à divina tantùm veritate, ſed & propria ratione deflectunt. Hoc ſolùm rectè ſtatuunt, quòd traditiones cum divinis mandatis pugnantes, quæque humana tantùm autoritate nitantur, in ſacris audiendæ non ſint. Sed cùm hoc nomine omnes univerſè traditiones, ſive Apoſtolicæ illæ ſint, extra Scripturam relictæ, ſive Eccleſiaſticæ, per ſucceſſores Apoſtolorum introductæ, eliminare ſatagunt; meritò tot ſcripturis oppoſitis arguuntur. Si licuit ſenioribus ipſo Apoſtolorum tempore decreta condere, quibus erat obſequendum, ſi reſiſtere poteſtati à Deo conſtitutæ, eſt ipſi Deo obluctari, qua fronte quis aſſerat, liberum cuique eſſe, jejunia, certorumque abſtinentiam ciborum, feſtorum obſervationem, aliaque ab Eccleſia præſcripta opera, licèt ex ſua natura indifferentia, negligere? Quis dicat hæc eſſe pura hominum mandata, quæ ab illo ſimul manant ſpiritu, qui conſtituit Eccleſiæ Rectores? Quis negabit hæc Dei ſpectare cultum,

quæ & à Deo ſuam ducunt originem, & ad illius obſequium, non politicam tantùm diſciplinam, ab Eccleſia referuntur. Planè omnis Philoſophiæ expers eſt, qui tam craſsè hallucinatur. Ipſum, quod ex Paulo 1 Cor. 14. v. 30. producunt præceptum, mandata Dei & prophetiam, expoſitionemque Scripturæ ſpectans, manifeſtè, non ad politicum, ſed divinum cultum refertur. Jam comminiſci, quo Dei mandatis adverſentur, quæ tot exemplis ſanctorum hominum in S. Literis firmata ſunt, nimium eſt inſolens.

(B.) Scripturæ præterea S. quæ in Confeſſione adducuntur, nobis favent, qui nihili facimus ciborum abſtinentiam, ſi juſtitia animi deſit. Rom. 14. Judæorum nos ritibus obligari, judicarique nolumus, neque Platonicam ſectari Philoſophiam in cultu Angelorum. Col. 2. Cibum non ſentimus inquinare, ſed perverſum, aut inordinatum ad hunc effectum: & mandata pura hominum, qualia erant phariſaica, facilè aſpernamur. Non ab hæreticis, ſed orthodoxa Eccleſia hæc manare neceſſe eſt. Matth. 15. Neque Judæorum grave ex ceremoniis jugum reducendum in Chriſti Eccleſiam cenſemus Act. 15. Ita & hæreticos, qui connubia & certos cibos prohibent, veluti Manichæos, damnamus, 1 Tim. 4. Sed per hoc non omnis abſtinentia à cibis damnatur: aliàs Eſther, Judith, Daniel, Baptiſta, aliíque damnandi eſſent. *Et ergo*, ait Bernard. ſerm. 66. ſuper Cant. *interdum abſtineo, ſed abſtinentia mea ſatisfactio eſt pro peccatis, non ſuperſtitio pro impietate.* Hoc in Ninivitis adeò manifeſtum eſt, ut Solem meridianum claritate ſuperet.

(C.) Interea manent illæ obſervationes liberæ, ut Auguſtinus ait, quæ nullum habent Eccleſiæ præceptum, neque ſi quis ad jejunium inhabilis eſt, tenetur, neque per hoc *fidei*, ut Tertul. ait, *conſonantia ſolvitur*. Eccleſia ad impoſſibile neminem adſtringit. An verò, & quomodo hæc exercitia remiſſionem mereantur, Ninivitæ docent, & ſuprà diſcuſſum eſt. De cœlibatu, votiſque, an legi divinæ adverſentur, jam mox diſcutietur. Hoc poſtulamus, ut pacis cauſa adductam à nobis Scripturam S. cum ſuperiori à ſe productа conjungant, ne malè mutilatâ Confeſſione, adverſarii fallant. Deus ubique, & in omnibus ſuis Scripturis audiendus eſt.

ART. V

ARTICULUS V.

De conjugio Sacerdotum.

CUm doctrina Chriſtiana honorificè prædicet conjugium, eoque uti jubeat, non ſolùm procreationis cauſa, ſed etiam ad frænandas, vitandaſque libidines, nunc non ſolùm Pontificia lege, ſed etiam nova atque inuſitata ſævitia prohibentur conjugia Sacerdotibus, & contracta dirimuntur. Idque hoc eſt indigniùs, quòd hæc in Eccleſia fiunt, quæ ut maximè debet abhorrere à turpitudine; ita conjugium ad vitanda multa ingentia flagitia, ſummo ſtudio tueri debebat. Ad hæc cùm in omnibus ethnicis Rebuſpublicis, mediocriter conſtitutis, propter graviſſimas cauſas, conjugium in magno honore fuerit, quid minùs decet in Eccleſia, quàm & ſanctiſſimum fœdus conjugii diſtrahere, aut capitalibus pœnis, velut ſummum ſcelus, punire conjugium? unde hæc in Eccleſiam, in qua debet excellere mutua dilectio, pervaſit immanitas. Porrò res loquitur ipſa, quantum turpitudinis, ac ſcelerum pariat Pontificia lex de cœlibatu. Nec ulla humana voce dici poteſt, quantum vitiorum ex hoc fonte in Eccleſiam exundaverit. Nam ut non dicamus de Epicureis, quos nihil pudet, quàm multi pii ac boni viri infeliciter luctati ſunt cum imbecillitate naturæ, & ad extremum in horribilem deſperationem inciderunt. Quò ſpectat autem hæc nova crudelitas, niſi ut illa infinita ſcelera in Eccleſiam confirmentur, & ut improbi peccent impunitiùs? Hæc cauſa nihil habet opus diſputatione; nam hæc nova lex, quæ nunc defenditur ab adverſariis, quæ & prohibet Sacerdotibus conjugia, & contracta diſtrahit, pugnat cum jure naturali, divino, cum Evangelio, cum veterum Synodorum conſtitutionibus, cum exemplis veteris Eccleſiæ. Tantum opus eſt nobis pietate & æquitate optimi Imperatoris, quem oramus, ut pro ſua pietate, & pro ſuo officio, abolitâ tyrannicâ lege, mederi Eccleſiæ ſtudeat. Cùm omnis injuſta crudelitas Deo diſplicet, tum illa maximè, quæ exercetur in Sacerdotes pios & eruditos, qui bene merentur de Eccleſia. At non ſolùm divina oracula minantur

atrociſſimas pœnas his, qui crudelitatem exercent adverſus Sacerdotes,ſed exempla etiam exſtant omnium ætatum, quæ comprobant illas minas non eſſe irritas. Nam ut alia innumerabilia exempla emittamus,gens Benjamin ferè tota deleta eſt, propter ſtupratam hoſpitis Sacerdotis conjugem. Cùm enim cadaver mulierculæ, quæ vexata ſtupris, extincta erat, diſſectum, miſſum eſſet ad Principes Iſraël, judicavit univerſus populus,tantam immanitatem ſeveriſſimè puniendam eſſe. Cùmque non dederentur ad pœnam autores facinoris, tota gens Benjamin magnâ clade acceptâ, pœnas dedit. At hoc tempore multiplici injuriâ afficiuntur Sacerdotes: ipſi, cùm quidem nullum eis crimen objiciatur, niſi conjugium, excruciari horribilibus ſuppliciis, necantur; miſeræ conjuges, & parvi liberi ejecti ſuis nidulis, vagantur extorres, ſine certa ſede, ſine tecto, ſine lare. Paulus vocat *prohibitionem conjugii, doctrinam dæmoniorum*. Id teſtantur non ſolùm turpiſſima vitia, quæ cœlibatus invexit in Eccleſiam, ſed etiam hæc ipſa aſperitas, quæ propter hanc legem exercetur in Sacerdotes,& eorum conjuges ac liberos. Nam diabolus homicida eſt, & piorum calamitatibus præcipuè delectatur. Sed olim Deo pœnas daturi ſunt talium conſiliorum autores. Nos hanc ſævitiam,neque dignam Chriſtianis, neque utilem Eccleſiæ eſſe judicavimus.

Quòd verò abjicitur auctoritas legis Pontificiæ: cur non allegant auctoritatem Canonum adverſus turpia exempla impuri cœlibatus, & ſcelera digna animadverſione? Nulla debet eſſe auctoritas Pontificii decreti, pugnantis cum jure naturæ, & cum mandato divino. Natura homines ita conditi ſunt, ut ſint fœcundi: quare Juriſconſulti dicunt, conjunctionem maris & fœminæ eſſe juris naturæ; idque docet Geneſis cap. 1. & 2. Deinde, cùm Paulus inquit: *Vnuſquiſque habeat uxorem, ad vitandam fornicationem*, certè præcipit omnibus, qui non ſunt idonei ad cœlibatum, ut contrahant conjugia. Et Chriſtus monet, non omnes idoneos eſſe ad cœlibatum, cùm ait: *Non omnes capiunt verbum hoc.*

Porrò, nec leges humanæ, nec vota valent, pugnantia cum mandato divino. Et eventus ipſe teſtatur, naturam legibus humanis non poſſe mutari. Videmus, quantum turpitudi-

pitudinis pariat ille cœlibatus. Ac ſi qui ſunt boni viri, qui ſtudent eſſe caſti, hi intelligunt oneris & periculi magnitudinem, & præcipuè deplorant hanc ſui ordinis ſervitutem. In Nicena Synodo quidam conati ſunt legem ferre, ut Sacerdotibus interdiceretur conſuetudine conjugum. (E.) Repudiata eſt hæc lex ab univerſa Synodo. Et fuit quondam mitior Latina Eccleſia. Tantùm enim dimittebat à miniſteriis eos, qui cùm gererent munus Eccleſiaſticum, ducebant uxores, non prohibuit conjugium. Hæc nova lex eſt Pontificum, ignota veteri Eccleſiæ ac Synodis, quæ in totum prohibet conjugia, & contracta diſtrahit.

Conſtat autem, utramque partem hujus decreti pugnare cum Evangelio. Allegatur contra nos Eccleſiæ & Synodorum auctoritas, quam Pontifices ipſi, hujus decreti auctores, impudenter contempſerunt. Nec obſcurè reclamaverunt pii Sacerdotes huic novæ legi. Nam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ reſtantur, eam non ſine certaminibus impoſitam eſſe Eccleſiis. Tarraconenſis Epiſcopus ſcribit ad Syricium Pontificem, Sacerdotes Hiſpanos non poſſe adduci, ut legem accipiant, qua interdicebatur eis conſuetudine uxorum. Quas ipſi tragœdias agit Syricius, quàm inclementer reſcribit?

Hæc ſunt Syricii verba, indigna Pontifice: *Dicat mihi nunc ille, quiſquis eſt, ſectator libidinum, præceptórque vitiorum?* Et deinde Pauli dictum alieniſſimum detorquet ad ſuam cauſam: *Qui in carne ſunt, placere Deo non poſſunt.* Dubium profectò eſt, utrùm inſcitię, an impudentię adſcribendum ſit, quòd tam contumelioſè loquitur de conjugio. Nihil enim agebatur aliud, niſi ut interdiceretur Sacerdotibus uſu conjugum, quas tunc habebant. Deinde poſteriores Pontifices multò duriores fuerunt. Cùm decretum Pontificum de abjiciendis uxoribus, in Germania recitaret Archiepiſcopus Moguntinus, ita exarſerunt irâ Sacerdotes, ut minarentur ſe impetum facturos in ipſum Archiepiſcopum. Et erat res cùm indigna, tum acerba, abjicere præſentes conjuges, ſed vicit tandem vel vis, vel ſuperſtitio. Quantò mitior fuit Cyprianus mulieribus, quæ non ſervabant promiſſam caſtitatem. Scribit enim lib. 1. epiſt. 11. *Si perſeverare nolunt, aut non poſſunt, melius eſt ut nubant, quàm ut*

in ignem deliciis ſuis cadant; certè nullum fratribus aut ſororibus ſcandalum præbeant.

Porrò injuſtæ leges non ſolent eſſe perpetuæ. Rogamus igitur optimum Imperatorem, ut inter cætera Eccleſiæ incommoda etiam hujus legis vitia conſideret, qua in re & illud conſiderandum eſt. Natura ipſa hominum veluti ſeneſcit, & fit imbecillior. Quare providendum eſt, ne vitia creſcant. Nec debent leges ipſæ ſemina eſſe vitiorum. Plato graviſſimè dicit: *Leges virtutis cauſa ferendas eſſe.* An autem traditio de cœlibatu pietatis cauſa propugnetur, aut alio quodam conſilio, non difficilè eſt judicare. Poſtremò, cùm Chriſtus præcipuè commendaverit piis curam miniſtrorum Evangelii, rogamus optimum Imperatorem, ſævitiam prohibeat, quæ diu jam in homines pios Sacerdotes exercetur, ac cum Eccleſia potiùs deliberet, quàm cum adverſariis noſtris. Debent in Eccleſia excellere dilectio & miſericordia. Quare maximè abhorret Eccleſia à crudelitate non neceſſaria, nec vult interfici Sacerdotes propter tyrannicam traditionem. Parci etiam vult miſeris mulieribus, ac liberis Sacerdotum. Horum omnium vitam ac ſalutem Eccleſia tibi, clementiſſime Imperator, commendat. Omnes pii ubique terrarum afficiuntur horum calamitatibus, & taciti deſiderant chriſtianam lenitatem in hoc negotio, tibique communibus lacrymis doctos & bonos viros, Eccleſiæ utiles, & horum conjuges ac liberos commendant, quem vident & natura præditum eſſe eximia quadam, & heroica bonitate, & in hac cauſa hactenus ſingulari uſum eſſe moderatione; quæ quidem ſignificat, te de Republica ritè ſananda deliberare. Non vult Eccleſia te alienæ crudelitatis miniſtrum fieri. Maximus honor eſt Regum, quem tribuit eis Eſaias, cùm inquit, *eos debere Eccleſiæ nutritios eſſe*, hoc eſt, imperia, defenſionem pacis, & humanæ ſocietatis, non ſolùm corporali utilitati ſervire, ſed etiam adjuvare Evangelium, cùm videlicet & tegunt Sacerdotes, & tranquillitatem civitatibus concedunt, & inſtitui ad religionem juventus, & doceri homines poſſunt. Rogat igitur Eccleſia, ut memineris tibi pios Sacerdotes tanquam alumnos tuendos eſſe. Tuum munus eſt, innocentiæ præſidio eſſe, depellere injurias, præcipuè ab imbecillibus, qui ſe tueri non poſſunt, ipſi à piis mulieribus,

ribus, à pueritia, ab orphanis. In his etiam ſacerdotum conjuges & liberos, qui verè ſunt orphani, tibi commiſſos divinitus exiſtimes.

Eccleſia vel maximè φιλόστοργος eſt, & non modò conjugum inter ſe charitatem, parentum erga liberos amorem probat, ſed afficitur ipſa deſertorum atque orphanorum ærumnis. Ac verò in tanta bonitate naturæ tuæ nihil eſſe ἄστοργον judicat; quare ſperat tibi quoque dolorem afferre, ſacerdotum neces ac ſupplicia, conjugum ac liberorum exilia. Monet illud etiam Eccleſia, ut provideas, ne plerique doctrinæ Chriſtianæ Loci, quorum neceſſaria eſt explicatio, ſimul opprimantur, dum pii eruditi interficiuntur, dum excutiuntur hominibus ſtudia doctrinæ Chriſtianæ. Quid agunt Adverſarii aliud, niſi ut deletis omnibus literis & oppreſſa doctrina, tantùm pendeant homines ex auctoritate illorum, qui dominantur: ſomnia in doctorum, quamlibet impia, quamlibet abſurda, ducunt eſſe oracula. Hanc barbaricam ſervitutem exiſtimant Adverſarii prodeſſe dominationi ſuæ. Nec obſcurè multis in locis jam hac ſervitute jacet oppreſſa Eccleſia. Etſi autem nos quoque veteres Synodos amplectimur congruentes cum Apoſtolica doctrina: tamen non decet auctoritatem Eccleſiæ prætexere omnibus abuſibus ac vitiis, quæ recentior ac deterior ætas in Eccleſiam invexit. Nimium blandiuntur ſibi homines, ſi nihil vitii derivatum eſſe putant in Eccleſiam, ex affectibus hominum cupidorum, ex illis labyrinthis & tenebris doctrinæ Scholaſticæ & Traditionum. Neque verò tam propter conjugium periclitantur hoc tempore boni viri, quàm propter ſtudium repurgandæ & illuſtrandæ doctrinæ Chriſtianæ, quod regere ac juvare Epiſcopi debebant. Nam his præcipuè cōmendata eſt cura ornandæ & defendendæ doctrinæ, hi debent eſſe hujus ſanctiſſimi & altiſſimi ſtudii gubernatores & hortatores.

Sed non ad ſolos Epiſcopos, verùm etiam ad pios Principes, ac maximè ad Imperatorem pertinet, purè intelligere Evangelium, dijudicare dogmata, advigilare ne impiæ opiniones recipiantur aut confirmentur, idololatriam omni ſtudio abolere. His officiis præclarè meriti ſunt de piis multi magni Heroes, Gedeon, Ezechias, Joſias, Conſtantinus, & plerique alii. Quare exiſtimabis & tui officii eſſe, cavere, ne obruantur ea,

quæ piè & utiliter patefacta & emendata ſunt à bonis & doctis viris, ne impii abuſus auctoritate tua ſtabiliantur. Pſalmus inquit, *propter templum tuum in Ieruſalem Reges offerent tibi munus.*

Sunt autem propria Regum mũnera in Eccleſiam conferenda, inquirere veram doctrinam, & curare ut boni Doctores præficiantur Eccleſiis, dare operam, ut ritè dijudicentur Eccleſiaſticæ controverſiæ, non delere piam doctrinam, ſed excitare potiùs ac propagare, & defendere, concordiam Eccleſiæ rectè conſtituere & tueri. His veris muneribus potes nunc, optime Imperator, ornare Chriſti Eccleſiam, quæ quidem à te præcipuè & Chriſtus requirit ipſe, & petunt Eccleſiæ, quibus opus eſt pace. Poſtremò cum humanæ traditiones cedere debeant temporibus, maximè in Eccleſia, in qua longè pluris fieri debent, ſalus piorum, dilectio, & pax publica, quam ullæ traditiones humanæ, multò ſatiùs eſt diſſimulare abrogationem hujus traditiunculæ de cœlibatu, quam confirmare libidines, diſſipare conjugia, ſuſcipere ſæviciam in ſacerdotes & eorum conjuges ac liberos, opprimere piam dóctrinam, vaſtitatem efficere in Eccleſiis.

Etſi autem mundus omnibus ætatibus dedit inſignes pœnas libidinum, ut hiſtoriæ teſtantur, de diluvio, de Sodomis, de Davide, denique innumerabiles Ethnicæ hiſtoriæ: tamen homines prophani leviter curant judicium Dei, rident libidines, ideò tollerant pollutos & contaminatos ſacrificulos. Ad hoc accedit, quod cœlibes facilius poſſunt tueri opes Eccleſiaſticas, & hunc ſplendorem, qui nunc eſt procerum Eccleſiaſticorum, quem, quia reges ſibi ornamento eſſe putant, majore ſtudio cœlibatum defendunt. Sed Evangelium jubet nos anteferre mandatum Dei prophanis judiciis & utilitatibus, oſtendit latè vagari pœnas libidinum per totas gentes, & pollutos cæcitate & æternis ſuppliciis puniri. Jubet uti conjugio, & ordinationi Dei obtemperari, qui ita condidit naturam hominum, ut perpetua ſocietas ſit duorum conjugum, maris & fæminæ. Monet cultus Dei eſſe, obtemperare ordinationi & voci Dei, & fugiendas eſſe ſuperſtitiones pugnantes cum ordinatione divina. Ideò ſuſtulimus prohibitionem conjugii, & ſentimus abolendam eſſe in tota Eccleſia. Et quia non dubitamus peccare omnes qui defendunt prohibitio-

bitionem illam, nos ſacerdotibus legitima & pia matrimonia concedimus. Nec opus eſt in hac cauſa diſputatione longiore, opus eſt judice qui non ridet libidines, ſed iram Dei metuit, & vera pietatis officia intelligere ſtudet. Deinde qui odit injuſtam crudelitatem, quæ hoc tempore adverſus ſacerdotes maritatos & eorum conjuges ac liberos exercetur. Rogamus igitur Imperatorem, ne pontificiam legem de cœlibatu, pugnantem cum mandatis Dei, & cum veteribus Synodis, defendat, nec ſit autor aut adjutor injuſtæ crudelitatis, nec trucidatis piis Sacerdotibus polluatſe parricidiis. Nam cùm cæteras injuſtas cædes Deus atrociter punit, tum maximè iraſcitur his, qui ſævitiam in ſacerdotes pios exercent, ut inquit 4. Regum 9. *Vlciſcar ſanguinam ſervorum meorum Prophetarum, &c.* Quid eſt indignius, quàm Imperia, quæ divinitus inſtituta ſunt, ut veram doctrinam de Deo, veros Dei cultus honeſta conjugia, bonos mores tueantur, transferri ad delendam veram doctrinam, ad diſſipanda conjugia, ad confirmandas & augendas flagitioſas libidines Pontificum, ſacerdotum & Monachorum? Quàm miſerabile ſpectaculum eſt, cùm Reges, qui debebant eſſe imago Dei in terris, non Deo ſerviunt, ſed furore diaboli, confirmantis horribilia peccata, Idolomaniam, libidines, & injuſtam crudelitatem? Porrò cùm de Eccleſiæ & piorum defenſione ſcriptum ſit: *Beatus qui miſeretur ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Optamus, ut omnes Reges & Principes adficiantur hâc voce cœleſti, & tegant pios ſacerdotes, & eorum conjuges ac liberos, quos quidem Deo curæ eſſe non dubitamus.

§. I. *Reformatio Articulus V.*

1. CRedimus Pauli exhortationem audiendam: *Vnuſquiſque in quo vocatus eſt, in hoc permaneat apud Deum. De Virginibus autem præceptum Domini non habeo, conſilium verò do, tanquam miſericordiam conſecutus, ut ſim fidelis. Exiſtimo ergò, hoc bonum eſſe, propter inſtantem neceſſitatem: quoniam bonum eſt homini ſic eſſe. Volo enim vos ſine ſolicitudine eſſe, qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Porrò hoc ad utilitatem veſtram dico, non ut laqueum vobis injiciam,*

ſed

ſed ad id quod honeſtum eſt, & facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi. Qui matrimonio jungit Virginem ſuam bene facit, & qui non jungit, melius facit. Beatior erit ſi ſic permanſerit, ſecundum meum conſilium. Puto autem, quod & ego ſpiritum Domini habeam 1. Cor. 7.

2. Credimus rectè dictum, *vovete & reddite Domino Deo veſtro.* Pſ. 75. v. 12. nam ut Chriſtus, ait, *ſunt Eunuchi qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cælorum, quod qui poteſt capere capiat.* Matth. 19. v. 12. *regnum enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matth. 11. v. 12. Cautè tamen admittendi: *adoleſcentiores,* ne *luxurientur in Chriſto,* ac poſtea *nubere velint, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* 1. Tim. 5. v. 11. Cum nec Paulo propter ſtimulos carnis reſilire licuerit, ſed pugnandum contra fuerit; *Datus* ait, *eſt mihi ſtimulus carnis Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut diſcederet à me. Et dixit mihi: ſufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* 2. Cor. 12. v. 7. Illo ſapientis uſus eſt exemplo: *Scivi, quia aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det: Adii Dominum, & deprecatus ſum illum.* Sap. 8. v. 21. Deus enim eſt *qui operatur in nobis velle, & perficere.* Phil. 2. v. 13.

3. Credimus ex uxoratis non *conſtituendos presbyteros,* aut *Epiſcopos niſi unius uxoris viros,* ſed deinceps *ſanctos, & continentes.* Tit. 1. v. 5. & 8. *Oportet & Diaconos ſimiliter unius eſſe uxoris viros, ſed pudicos.* Tim. 3. v. 8. Si *quis* enim *veniat ad me,* ait Chriſtus, *& non odit patrem, & matrem, & uxorem, & filios, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Luc. 14. v. 26. Unde Apoſtoli, *ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Matt. 19. v. 27. *Nemo,* enim, *militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus.* 2. Tim. 2. v. 4. *qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt.* Nemo igitur, niſi à mulieribus ſe continens, & pudicus divino miniſterio dignus eſt.

* * *

§. 2. *Obſervatio ad Art. V.*

1. HÆc controverſia facundos plerumque & calentes diſ-D. putatores facit Verbi Miniſtros, quia pro thalamo & conjugibus ſuſcepta dimicatio eſt. Sed res inſolens eſt, venerem & veſtam in eadem ara collocare. Apoſtoli, inprimiſque Paulus adverſus hanc rem pugnavit acriter, & quamvis *ſtimulus carnis* in contrariam impelleret, tamen *voluit omnes eſſe ſicut ſeipſum*, quod *continentes cogitent, quæ Domini ſunt, ut ſint ſancti corpore & Spiritu; ceteri quæ mundi &c.* 1. *Cor.* 7. Audienda igitur Scriptura, quæ bonum docet eſſe matrimonium, ſed meliorem cœlibatum. Hunc præ illo ſuadet, liberam tamen cuique facit eligendi poteſtatem. Qui ad hunc ſe confert, & eunuchus eſſe ſtatuit pro regno cœlorum; aut, ſi conjugem habeat, cum illius conſenſu, ab illa ſe continere, hunc capacem Diaconatus, Presbyterii, & Epiſcopatus facit, deferenda enim uxor diſcipulis Chriſti eſt. Quod ſi quis hanc fidem ſemel Deo datam, irritam deinde faciat, is habet damnationem: Hæc ex ſcriptura, quam ſupra dedimus, admittere neceſſe eſt, niſi verbo & veritati divinæ velis obnuntiare.

Juſta igitur non minus lex eſt, quæ prohibet ſacerdotibus conjugia, quàm illa ſit, quæ prohibet conjugibus, invitâ parte alterâ, cœlibatum. At craſſo nimis filo hoc texitur argumentum. Sacerdotibus prohibetur conjugium; ergò conjugium adverſus divinas humanaſque leges prohibetur. Simile illi: cœlibatus prohibetur conjugatis; ergò contra Dei conſilia humanamque libertatem cœlibatus prohibetur. Abſolutè & prohibere conjugium, & prohibere cœlibatum doctrina dæmoniorum eſt; ſed prohibere conjugibus ſacerdotium, & ſacerdotibus conjugium doctrina Apoſtolorum. Damnamus itaque in Encratiſtis & Montaniſtis prohibitionem conjugii. Nemo ab hoc arcetur, niſi qui ultro eunuchi conditionem ſubit, ſeque reddit per clerici ſtatum inhabilem. Hoc liberæ quiſque voluntati ſuæ imputet, quod renuntiarit: uti enim ex conjugio ad libertatem adſpirare nefas eſt; ita ex jurato Deo cœlibatu ad conjugium. Semel enim eunuchus nunquam habilis generationi eſt. Vincula ejuſmodi nulla legum tyrannide, ſed ſpontanea captivitate ſubeuntur, quæ ſi in

con-

conjugibus carnis gratia præſtita violare nefas eſt, quantò magis in clericis gratiæ Dei!

Nullum verò jus divinum, aut naturale eſt, quod violetur, nulla ſynodorum, aut veteris Eccleſiæ decreta negliguntur, cum, vel ſacerdotibus prohibentur conjugia vel contracta diſſolvuntur. Nam conjugium cuique liberum eſt, niſi volens ipſe eunuchus eſſe malit, propter regnum Dei, qui, ut, verba ipſa ſonant, neceſſitatem ſibi impoſuit abſtinendi. Quod factum dum Chriſtus probat, Apoſtoli ſuadent, nulla illi lex, aut conſuetudo poteſt obſiſtere. Qui temerè hoc vinculum ſibi injecit, ſuæ imputet temeritati. Nec iccirco bonæ leges ſolvendæ erunt, ut ſua prævaricatoribus fiat libertas. Uri qui conjux factus ſibi libertatem ſuſtulit, quam accepit naſcendo, hanc cælebs non poteſt, cum tædet, reſumere. Quare cum Apoſtolo concludo: *Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat: alligat⁹ es uxori, noli quærere ſolutionem; ſolutus es ab uxore, noli quærere uxorem.* 1. Cor. 7. Qui continere ſe non poteſt, ſacerdotium non quærat, ſed *uxorem habeat, ad vitandam fornicationem*, & omnem impuritatem. Etenim *omnes non capiunt verbum illud*, ut eunuchi eſſe conſtanter poſſint. Fides igitur temerè Deo dandã non eſt, ne cũ damnatione irritetur.

* 2. (E.) Nicena ſynodus ſat apertè clericis uxores prohibet, dum can. 3. interdicit Epiſcopo presbytero & Diacono, ne domi mulierem ullam habeat, præterquam ſanguine proximas, ut matrem, ſororem, amitam. Unde ipſe Lutherus in lib. de Concil. agnoſcit, Patres noluiſſe ſequi Paphnutium. Certè canon iſte hoc evincit, quidquid Socrates cum Sozomeno fabuletur, Juſtino nil tale ſentiente, Epiphanio etiam hæreſi 19. diſſentiente, dum ait, *contra Canones Eccleſiaſticos eſſe, ut ſacerdos, vel Diaconus liberos gignat.* Cui Calliſti Papæ Canon, & Concilii Neocæſar, ac Toletani ſecundi primus, tum D. Hieronymus contra Vigilant. & contra Jovin. lib. 1. aſſentitur. Illud quoque Concilium Carthag. 2. can. 2. expreſſè tradit: *Omnibus placet, ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, pudicitiæ cuſtodes, etiam ab uxoribus ſe contineant: ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.* Cui opinor plus debetur fidei, quàm Auguſtanis ultima hâc ætate contrarium aſſerentibus. Si qui ſub Syricio Papa aliiſque temporibus dyſcoli atque incontinentes ſacerdotes obluctati ſunt,

autoritatem ſuo flagitio ſacerdotum conjugio non magis facient, quàm polygamiæ adulteri & diſſoluti conjuges. Quibus omnibus jure dicitur illud Pontificium, quod hi *qui in carne ſunt, placere Deo non poſſint*. Unde, quod argumentum pro conjugio ſacerdotum, a libidine quorundam ſumit, hoc ego non minori vi, à conjugum exceſſibus, pro ſuadenda polygamia ſumam. Equidem prorſus ambiguæ rem eſſe diſceptationis autumo: majoreſne inter clericos in libidine exceſſus, an inter conjugatos reperiantur.

Qui ex ſolo conjugio remedium adverſus omnem libidinem petunt, imperiti ſunt medici. Hic ignis eſt, qui plerumque ſubjectis alimentis augetur: prurigo, quæ affrictu non tam extinguetur, quàm augeretur, qui manum omnem abſtinet, facillimè ſanatur.

Quæ ex Cypriano adducit confeſſio, neque loc. cit. leguntur; neque de ſacerdotibus obligatiſque Dei ſervitio perſonis aſſeruntur: ideoque tela ſunt irrita. Certiora hac de re Apoſtolus differit 1. Tim. 5. v. 11. Quod confeſſio queritur, ſolvi conjugia per leges Pontificias, vanum eſt. Nam illegitimè à clericis inita, non ſolvit, ſed declarat irrita. Quod ſi utriuſque partis conſenſu alter conjugum ſacris inaugeretur, ut S. Julianæ maritus, & Martyr Agricola, vinculum ſponte ſolvitur. Unde illa ſic filios apud D. Ambroſium alloquitur: *Serviebam viro, & laborabam placere: miſeratus eſt Dominus & fecit miniſtrum, continuoque & mihi, & vobis raptus eſt.* Ex quibus omnibus manifeſtum eſt Paulum, cum vocat Epiſcopos & Diaconos *unius uxoris viros*, de præterito ſolum loqui tempore, ut excludat bigamos, ideoque dein vult eſſe à mulieribus continentes; abſurdum enim ſit de præſenti tempore hæc verba ſtrictè ſumere; *oportet unius uxoris eſſe viros*, ut ſi Epiſcopi eſſe nequeant, niſi ſic uxorati. De qua re conſule S. Aug. l. de bono conjug. c. 18. & magis ſanam ſanctamque, quàm corruptam antiquitatem venerare, ut profligata concordia reparetur.

* *
*

§. 2. Ob-

ARTICULUS VI.

De votis Monachorum.

QUid de votis Monachorum apud nos doceatur, meliùs intelliget, ſi quis meminerit, qualis ſtatus fuerit monaſteriorum, quàm multa contra Canones in ipſis Monaſteriis quotidie fiebant. Auguſtini tempore erant libera collegia, poſtea corrupta diſciplina, ubique addita ſunt vota. ut tanquam excogitato carcere, diſciplina reſtitueretur. Additæ ſunt paulatim ſupra vota aliæ multæ obſervationes. Et hæc vincula multis ante juſtam ætatem contra Canones injectæ ſunt. Multi inciderunt errore in hoc vitæ genus, quibus etiamſi non deeſſent anni, tamen judicium de ſuis viribus defuit. Qui ſic irretiti erant, cogebantur manere, etiamſi quidam beneficio Canonum liberari poſſent. Et hoc accidit magis etiam in monaſteriis Virginum quàm Monachorum, cùm ſexui imbecilliori magis parcendum eſſet. Hic rigor diſplicuit multis bonis viris ante hæc tempora, qui videbant puellas & adoleſcentes in monaſteria detrudi propter victum, videbant quàm infeliciter ſuccederet hoc conſilium, quæ ſcandala pareret, quos laqueos conſcientiis injiceret. Dolebant autoritatem Canonum in re periculoſiſſima omninò negligi & contemni.

Ad hæc mala, accedebat talis perſuaſio de votis, quam conſtat etiam olim diſplicuiſſe ipſis Monachis, ſi qui paulò cordatiores fuerunt. Docebant vota paria eſſe Baptiſmo, docebant ſe hoc vitæ genere mereri remiſſionem peccatorum, & juſtificationem coram Deo: imò addebant, vitam monaſticam mereri coram Deo, ſed ampliùs etiam, quia ſervaret non modò præcepta, ſed etiam conſilia Evangelica.

Ita perſuadebant, monaſticam profeſſionem longè meliorem eſſe Baptiſmo: vitam monaſticam plus mereri, quàm vitam Magiſtratuum, vitam Paſtorum, & ſimilium, qui in mandatis Dei ſine facticiis religionibus ſuæ vocationi ſerviunt. Nihil horum negari poteſt, extant enim in libris eorum.

Quid fiebat poſtea in monaſteriis? Olim erant ſcholæ ſacratum

ſacrarum literarum, & aliarum diſciplinarum, quæ ſunt utiles Eccleſiæ, & ſumebantur inde Paſtores, & Epiſcopi. Nunc alia res eſt, nihil opus eſt recitare nota. Olim ad diſcendum conveniebant, nunc fingunt inſtitutum eſſe vitæ genus ad promerendam remiſſionem peccatorum & juſtificationem, immò prædicant, eſſe ſtatum perfectionis, & longè præferunt omnibus aliis vitæ generibus à Deo ordinatis.

Hæc ideò recitavimus, nihil odiosè exaggerantes, ut meliùs intelligi poſſet de hac re doctrina noſtrorum. Primùm de his, qui matrimonia contrahunt, ſic docent apud nos, quòd liceat omnibus, qui non ſunt idonei ad cœlibatum, contrahere matrimonium, quia vota non poſſunt ordinationem, ac mandatum Dei tollere. Eſt autem hoc mandatum Dei: *Propter fornicationem habeat unuſquiſque uxorem ſuam.* Neque mandatum ſolùm, ſed etiam creatio & ordinatio Dei, cogit hos ad conjugium, qui ſine ſingulari Dei opere non ſunt excepti, juxta illud: *Non eſt bonum homini eſſe ſolum.* Igitur non peccant iſti, qui obtemperant huic mandato & ordinationi Dei.

Quid poteſt contra hæc opponi? Exaggeret aliquis obligationem voti quantum volet, tamen non poterit efficere, ut votum tollat mandatum Dei. Canones docent, *in omni voto, jus ſuperioris excipi*, quare multò minùs hæc vota contra mandata Dei valent. Quòd ſi obligatio votorum nullas haberet cauſas cur mutari poſſit, nec Romani Pontifices diſpenſaſſent. Neque enim licet homini obligationem, quæ ſimpliciter eſt juris divini, reſcindere. Sed prudenter judicaverunt Romani Pontifices, æquitatem in hac obligatione adhibendam eſſe. Ideò ſæpè de votis diſpenſaſſe leguntur. Nota eſt hiſtoria de Rege Arragonum, revocato ex monaſterio, & extant exempla noſtri temporis.

Deinde, cur obligationem exaggerant adverſarii, ſeu effectum voti, cùm interim de ipſa voti natura ſileant, quod debet eſſe in re poſſibili, quod debet eſſe voluntarium, ſpontè & conſultò conceptum. At quomodo ſit in poteſtate hominis perpetua caſtitas, non eſt ignotum. Et quotuſquiſque ſpontè & conſultò vovit? Puellæ & adoleſcentes priuſquam judicare poſſunt, perſuadentur ad vovendum, interdum etiam coguntur. Quare non eſt æquum tam rigidè

I

Digitized by Google

gidè de obligatione diſputare, cùm omnes fateantur contra vori naturam eſſe, quod non ſponte, quod inconſultò admittitur.

Pleriqne Canones reſcindunt vota ante annum 15 contracta, quia ante illam ætatem non videtur tantum eſſe judicii, ut de perpetua vita conſtitui poſſit. Alius Canon plus concedens hominum imbecillitati, addit annos aliquor, vetat enim ante annum 18 votum fieri. Sed utrùm ſequemur, maxima pars habet excuſationem, cur monaſteria deſerant, quia plurimi ante hanc ætatem voverunt. Poſtremò, etiamſi voti violatio reprehendi poſſet, tamen non videtur ſtatim ſequi, quòd conjugia talium perſonarum diſſolvenda ſint. Nam Auguſtinus negat debere diſſolvi, 27. *quaſt.* 1. *cap. Nuptiarum*, cujus non eſt levis autoritas: etiam ſi alii poſtea aliter ſenſerunt.

Quanquam autem mandatum Dei de conjugio videatur pleroſque liberare à votis, tamen afferunt noſtri & aliam rationem de votis, quòd ſint irrita, quia omnis cultus Dei, ab hominibus ſine mandato Dei inſtitutus & electus, ad promerendam remiſſionem peccatorum & juſtificationem, impius eſt, ſicut Chriſtus ait: *Fruſtra colunt me mandatis hominum.* Et Paulus ubique docet, juſtitiam non eſſe quærendam ex noſtris obſervationibus & cultibus, qui ſint excogitati ab hominibus, ſed *contingere eam per fidem, credentibus ſe habere Deum placatum & propitium propter Chriſtum, non propter ulla noſtra merita.*

Conſtat autem Monachos docuiſſe, quòd factitiæ religiones mereantur remiſſionem peccatorum & juſtificationem, & quòd pro peccatis ſatisfaciant. Quid hoc eſt aliud quàm de gloria Chriſti detrahere & obſcurare, ac negare juſtitiam fidei? Sequitur igitur, iſta vota uſitata, impios cultus fuiſſe, quare ſunt irrita. Nam votum impium, & factum contra mandata Dei, non valet, *neque enim debet votum vinculum eſſe iniquitatis*, ut Canon dicit.

Paulus dicit: *Evacuati eſtis à Chriſto qui in lege juſtificamini, à gratia excidiſtis*, id eſt, qui ſentiunt, quòd mereantur propriis operibus remiſſionem peccatorum, & quòd propter propriam legis impletionem placeant Deo, nec ſentiunt, quòd propter Chriſtum gratis accipiunt fide donatam remiſſionem peccatorum per miſericordiam Dei, & quòd

propter

propter Chriſtum placeant Deo, hi amittunt Chriſtum, quia fiduciam debitam Chriſto & promiſſioni Dei, transferunt ad opera. Item opponunt iræ Dei, non propitiatorem Chriſtum, ſed propria opera: quare honorem debitum Chriſto transferunt ad opera noſtra. Conſtat autem Monachos hoc docere, quòd ſuis obſervationibus mereantur remiſſionem peccatorum, quòd habeant Deum propitium propter has obſervationes. Quare docent confidere ſuis operibus, non propitiatione Chriſti. Hæc fiducia eſt impia, & cum Evangelio pugnat, & in judicio Dei deprehendetur eſſe inanis. Non enim poſſunt opera noſtra opponi iræ ac judicio Dei. Tantùm ita placatur ira Dei, quando gratuitam miſericordiam propter Chriſtum promiſſam fide apprehendimus. Amittunt igitur Chriſtum, qui fiduciam non in Chriſtum, ſed in opera propria collocant.

Præterea, Monachi docuerunt ſuum vitæ genus ſtatum eſſe perfectionis, quia obſervarent non ſolùm præcepta, ſed etiam conſilia. Hic error maximè pugnat cum Evangelio, quòd finxerunt ſe præceptis ita ſatisfacere, ut ampliùs etiam facerent. Et hinc natus eſt horribilis error, quòd finxerunt ſe habere merita ſupererogationis. Hæc applicaverunt pro aliis, ut ſatisfactiones eſſent pro alienis peccatis. Hæc ſi quis odioſè velit exagitare, quàm multa commemorare poſſit, quorum jam ipſos Monachos pudet.

Non eſt leve ſcandalum in Eccleſia populo proponere, certum cultum ab hominibus excogitatum, ſine mandato Dei; & docere, quòd talis cultus juſtificet homines. Quia juſtitia fidei in Chriſtum, quam maximè oportet tradi in Eccleſia, obſcuratur, cùm illæ mirificæ religiones Angelorum, ſimulatio paupertatis & humilitatis, & cœlibatus offunduntur oculis hominum.

Præterea obſcurantur præcepta Dei, & verus cultus Dei, cùm audiunt homines, ſolos Monachos eſſe in ſtatu perfectionis, quia perfectio chriſtiana eſt ſeriò timere Deum, & rurſus concipere magnam fidem, & confidere propter Chriſtum, quòd habeamus Deum placatum, petere à Deo, & certò expectare auxilium in omnibus rebus gerendis, juxta vocationem. Interim foris diligenter facere

cere bona opera, & ſervire vocationi. In his rebus eſt vera perfectio, & verus cultus Dei, non eſt in cœlibatu, aut mendicitate, aut veſte ſordida. Ac populus concipit multas pernicioſas opiniones ex illis falſis præconiis vitæ monaſticæ. Audit ſine modo laudari cœlibatum, ideò cum offenſione conſcientiæ verſatur in conjugio. Audit ſolos mendicos eſſe perfectos, ideò cum offenſione conſcientiæ retinet poſſeſſiones, negotiatur. Audit conſilium Evangelicum eſſe de non vindicando, ideò alii in privata vita non verentur ulciſci, audiunt enim conſilium eſſe non præceptum. Alii, omnes Magiſtratus & civilia officia judicant indigna eſſe Chriſtianis.

Leguntur exempla hominum, qui deſerto conjugio, deſerta Reipub. adminiſtratione, abdiderunt ſe in monaſteria. Id vocabant, *fugere ex mundo, & quærere vitæ genus quod Deo magis placeret*, nec videbant Deo ſerviendum eſſe in illis mandatis, quæ ipſe tradidit, non in mandatis, quæ ſunt excogitata ab hominibus. Bonum & perfectum vitæ genus eſt, quod habet mandatum Dei. De his rebus neceſſe eſt admonere homines. Et ante hæc tempora reprehendit Gerſon errorem Monachorum de perfectione, & teſtatur, ſuis temporibus novam vocem fuiſſe, *quòd vita monaſtica ſit ſtatus perfectionis.*

Tam multæ impiæ opiniones hærent in votis, quòd mereantur remiſſionem peccatorum & juſtificationem, quòd ſint perfectio chriſtiana, quòd ſervent conſilia & præcepta, quòd habeant opera ſupererogationis. Hæc omnia cùm ſint falſa & inania, faciunt vota irrita.

§. 1. *Reformatio. Art. 6.*

1. CRedimus grata Deo vota eſſe, & neceſſariò implenda. Dei voces ſunt: *Loquere ad filios Iſraël, & dices ad eos: Vir, ſive mulier, cùm fecerint votum, ut ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare, à vino, & omni quod inebriare poteſt, abſtinebunt.* Num 6. v. 2. tales Nazaræi erant. *Si votum voveris, non tardabis reddere, quia requiret iſtud Dominus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum, ſi nolueris polliceri, abſque peccato eris.* Deut. 23. v. 21. Similes prævidit Chriſtianos Iſaias: *Colent eum hoſtiis & muneribus, & vota vovebunt Domino, & ſolvent.* c. 19. v. 21. *Iuxta eſt ſalus mea, ut veniat, & juſtitia mea, ut reve-*

reveletur. Dicit Dominus eunuchis, ſi cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, (ſeu pactum meum initum) *dabo eis in domo mea, & muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen ſempiternum.* c. 56. v. 1. & 4. Hi enim *ſunt, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cælorum.* Matt. 19. quique, *fidem irritam non fecerunt,* 1 Tim. 5. *conſilium non præceptum* ſecuti. 1 Cor. 7.

2. Credimus & hoc Chriſti eſſe conſilium: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo.* Matth. 19. v. 21. quod amplexi erant, qui Chriſto dixerunt: *Ecce nos reliquimus omnia,* v. 27. & Jeroſolymitæ: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una, nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum dicebat; ſed erant illis omnia communia.* Act. 4. v. 32. nec licebat retinere ei qui hæc Deo volens obtuliſſet; unde malè *Ananias cum Saphira uxore fraudavit de pretio agri. Dixit autem Petrus: Anania, cur tentavit ſatanas cor tuum, mentiri Spiritui S. & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebit, & venundatum in tua erat poteſtate? Non es mentitus homini, ſed Deo.* Act. 5. v. 1. Et magni ea res meriti eſt. *Omnis enim qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Matt. 19. v. 29.

3. Credimus olim majoris perfectionis gratia *Rechabitas obediiſſe præcepto patris ſui, qui præcepit: non bibetis vinum vos & filii veſtri uſque in ſempiternum, & domum non ædificabitis, & ſementem non ſeretis, &c. ac propterea ita placuiſſe Deo, ut non deficerit vir de ſtirpe Ionadab.* Jerem. 35. Chriſti eſſe conſilium: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Matt. 16. v. 24. Et, *qui non odit animam ſuam,* (ſenſualem) *& bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Luc. 14. v. 26. Tales fuiſſe, qui dixerunt: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te,* cùm Chriſtus hanc viam perfectionis oſtendiſſet, *ſi vis perfectus eſſe, vade, ſequere me.* Matt. 19. Hoc igitur *votum ſi voveris, ne moreris reddere, quia requiret illud Dominus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Deut. 23.

§. 2. *Obſervatio ad Art. 6.*

1. HÆc Scriptura omne effugium, conſiliorum Dei, & perfectionis chriſtianæ hoſtibus præcludit. Nam quomodo vota ſerò introducta dicent, quæ in veteri etiam Teſtamento uſitata fuêre, nec in rebus ſolùm præceptis, ſed & liberis. An enim liberum non erat Nazaræis ante votum frui vino? An Jacobo præceptæ erant decimæ, quas vovit? Gen. 28. ꝟ. ult. & C. 31. v. 13. An templum quod vovit David? pſal. 131. ꝟ. 2. 11. An oblatio filii, quam vovit Anna? 1 Reg. 1. v. ult. Et an illa, quæ proponuntur. Lev. 27. Deut. 12. & 13. vota ſunt de rebus à Deo præceptis? Ita Ananiæ *in poteſtatem manſiſſet ager,* niſi oblaturum ſe pretium voviſſet: poſtquam promiſerat, non erat poteſtas retinendi. Adoleſcenti ad *perfectionem* invitato, non tamen obliganti fidem, redire licuit, Apoſtolis, poſtquam miſiſſent *manum ad aratrum*, redire non licuit, ne *fidem datam irritam facerent.* In his igitur fides data, ſive votum, ſi vinculum perfectionis, non poteſt in aliis eſſe iniquitatis.

2. Catholicis falsò imponitur, quòd vota baptiſmo doceant eſſe ſimilia in peccatoris juſtificatione. Hoc, quòd juſtis gratiam, meritumque ac præmium augeant, Scriptura S. tradit, quæ *theſaurum in cælo*, hic *centuplum*, & denique *vitam æternam* offert. Verùm hæc ſuprà diſertiùs tradita, licebit adire.

3. Mirum eſt hîc mandatum ducendæ uxoris fingi, quod ſingulos obliget; cùm hoc pacto omnes cœlibes damnentur, non enim tam votum, quàm cœlibatus hoc mandato ab humano genere proſcriberetur.

Cæterùm poſtquam ſe homo Deo obſtrinxit, ipſa lex naturæ docet, ut *quod voviſti, ne moreris reddere.* Eccl. 5. niſi fortè Pontifex, cui claves ligandique & ſolvendi poteſtas, in ſuos & Chriſti ſubditos eſt credita, in hac obligatione, ob Eccleſiæ, aut privatum ſubditi bonum diſpenſet, quod judicet meliùs eſſe ſolvi, quàm teneri. Votum enim non eſt, niſi de bono meliori conceptum. Porrò ſi voluntaria non fuerit obligatio, nunquam tenuit; ſi inconſultò ſuſcepta, ejus remedium diſpenſatio eſt (neque enim ſine juſta cauſa hæc poteſt exſpectari,) ſi verò de re impoſſibili

ſit,

ſit, nulla eſt. At caſtitatem rem eſſe impoſſibilem, tam falſum eſt, quàm verum illud Apocalypſis: *Agnus ſtabat ante thronum, & cum eo centum quadraginta quatuor millia. Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati. Virgines enim ſunt. Hi ſequuntur agnum quocunque ierit.* c. 14. v. 1. & 4. Qui igitur vovit, tenetur reddere: niſi fortè ſimplici tantùm innexus voto, conjugio ſeſe etiam illigarit; quod meritò Auguſtinus ſenſit non diſſolvendum.

4. Poſtremò mirum eſt, quemadmodum homo ratione præditus negare poſſit, perfectiùs eſſe, & meliùs, non nubere, quàm conjugari; & ſolicitum eſſe quæ Dei ſunt, quàm quæ uxoris, &c. Iterum non minùs perfectum eſſe veſtiri in aula purpurâ, quàm cum Joanne in deſerto pilis camelorum: dare potum aquæ hoſpiti, quàm vendere omnia, & dare pauperibus, etiamſi omnia fiant, ut divinæ voluntati obſequaris, & Deo ſervias. An Paulus fallit, cùm dicit: *Qui non jungit*(matrimonio virginem) *meliùs facit, & beatior erit, ſi ſic permanſerit?* Inter benè, & melius, beatum & beatius, certè diſcrimen eſt, & alterum perfectius altero. Hæc verò iccircò jure dicimus ſupererogationis opera, quia præceptis, tanquam non præcepta, libera hominum voluntate, ut Deo tantò perfectiùs ſerviant, adjiciuntur. Quis enim Nazaræis, & Joanni Baptiſtæ præceptum fuiſſe afferat, ne vinum aut ſiceram biberent? quis Danieli, ut pane, vino, carnibus abſtineret? Dan. 10. v. 3. Quis Ananiæ, ut agrum venderet, pretium offerret, quòd Petrus dicit manſiſſe in poteſtate? Quis Apoſtolis omnibus, ut domum, uxores, liberos relinquant propter Chriſtum? Matt. 19. quis denique, contra diſertiſſima Pauli verba, dicat de virginibus ſe habere præceptum, non conſilium? Hæc verò univerſa, ſi propter Deum quis præſtet, negare cultum Dei eſſe, propè inſanum eſt. Timore, fide, ſpe, amore Deus colitur; ſed & actus ejuſmodi externi cultus imperantur.

***

ARTICULUS VII.

De poteſtate Eccleſiaſtica.

MAgnæ diſputationes fuerunt de poteſtate Epiſcoporum, in quibus nonnulli incommodè commiſcuerunt poteſtatem Eccleſiaſticam, & poteſtatem gladii. Et ex hac confuſione maxima bella, maximi motus extiterunt, dum Pontifices, freti poteſtate clavium, non ſolùm novos cultus inſtituerunt, reſervatione caſuum, violentis excommunicationibus conſcientias oneraverunt, ſed etiam regna mundi transferre, & Imperatoribus adimere imperium conati ſunt. Hæc vitia multò antè reprehenderunt in Eccleſia homines pii & eruditi. Itaque noſtri ad conſolandas conſcientias, coacti ſunt oſtendere diſcrimen Eccleſiaſticæ poteſtatis, & poteſtatis gladii, & docuerunt utramque propter mandatum Dei religiosè venerandam, & honore afficiendam eſſe, tanquam ſumma Dei beneficia in terris.

Sic autem ſentiunt, poteſtatem clavium, ſeu poteſtatem Epiſcoporum, juxta Evangeliũ, poteſtatem eſſe ſeu mandatum Dei, prædicandi Evangelii, remittendi & retinendi peccata, & adminiſtrandi Sacramenta. Nam cum hoc mandato Chriſtus mittit Apoſtolos: *Sicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos. Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis peccata, retenta ſunt.* Marci 16. *Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ*, &c.

Hæc poteſtas tantùm exercetur docendo ſeu prædicando Evangelium, & porrigendo Sacramenta, vel multis vel ſingulis juxta vocationem, quia conceduntur non res corporales, ſed res æternæ, juſtitia æterna, Spiritus ſanctus, vita æterna. Hæc non poſſunt contingere, niſi per miniſterium verbi & Sacramentorum; ſicut Paulus dicit: *Evangelium eſt potentia Dei, ad ſalutem omni credenti.* Itaque cùm poteſtas Eccleſiaſtica concedat res æternas, & tantùm exerceatur per miniſterium verbi, non impedit politicam adminiſtrationem; ſicut ars canendi nihil impedit politicam adminiſtrationem. Nam politica adminiſtratio verſatur circa alias res quàm Evangelium. Magiſtratus

tus defendit non mentes, ſed corpora & res corporales, adverſus manifeſtas injurias, & coërcet homines gladio, & corporalibus pœnis, ut juſtitiam civilem & pacem retineat.

Non igitur commiſcendæ ſunt poteſtates, Eccleſiaſtica & Civilis: Eccleſiaſtica ſuum mandatum habet, Evangelii docendi & adminiſtrandi Sacramenta. Non irrumpat in alienum officium, non transferat regna mundi, non abroget leges Magiſtratuum, non tollat legitimam obedientiam, non impediat judicia de ullis civilibus ordinationibus aut contractibus, non præſcribat leges Magiſtratibus de forma Reipublicæ, ſicut dicit Chriſtus: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Item: *Quis conſtituit me judicem, aut diviſorem ſuper vos.* Et Paulus ait, Philipp. 3. *Noſtra politia in cælis eſt.* 2 Corinth. 10. *Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Deo, ad deſtruendas cogitationes*, &c. Ad hunc modum diſcernunt noſtri utriuſque poteſtatis officia, & jubent utramque honore afficere & agnoſcere, utramque Dei donum & beneficium eſſe.

Si quam habent Epiſcopi poteſtatem gladii, hanc non habent, ut Epiſcopi ex mandato Evangelii, ſed jure humano donatam à Regibus & Imperatoribus, ad adminiſtrationem civilem ſuorum bonorum. Hæc interim alia functio eſt, quàm miniſterium Evangelii.

Cùm igitur de juriſdictione Epiſcoporum quæritur, diſcerni debet imperium ab Eccleſiaſtica juriſdictione. Porrò ſecundùm Evangelium, ſeu, ut loquuntur, de jure divino, nulla juriſdictio competit Epiſcopis, hoc eſt, his, quibus eſt commiſſum miniſterium verbi & Sacramentorum, niſi remittere peccata. Item, cognoſcere doctrinam, & doctrinam ab Evangelio diſſentientem rejicere, & impios, quorum nota eſt impietas, excludere à communione Eccleſiæ, ſine vi humana, ſed verbo. Hìc neceſſariò, & de jure divino, debent Eccleſiæ præſtare obedientiam, juxta illud: *Qui vos audit, me audit.*

Verùm cùm aliquid contra Evangelium docent, aut ſtatuunt, tunc habent Eccleſiæ mandatum Dei, quod obedientiam prohibet, Matth. 7. *Cavete à Pſeudoprophetis.* Galat. 1. *Si Angelus de cælo aliud Evangelium evangelizaverit, anathema*

nathema ſit. 2 Corinth. 13. *Non poſſumus aliquid contra veritatem, ſed pro veritate.* Item: *Data eſt nobis poteſtas ad ædificationem, non ad deſtructionem.* Sic & Canones præcipiunt, 2. *q.* 2. *cap. Sacerdotes*,&c. *Oves*,& Auguſtinus,contra Petiliani epiſtolam, inquit: *Nec Catholicis Epiſcopis conſentiendum eſt, ſicuti fortè falluntur,aut contra Canonicas Dei Scripturas aliquid ſentiunt.*

Si quam habent aliam poteſtatem, vel Jüriſdictionem in cognoſcendis certis cauſis,videlicet matrimonii,aut decimarum,&c. hanc habent humano Jure; ubi,ceſſantibus Ordinariis, coguntur Principes, vel inviti, ſuis ſubditis jus dicere, ut pax retineatur.

Præterea hæc diſputatur: *Vtrùm Epiſcopi, ſeu Paſtores habeant jus inſtituendi cæremonias in Eccleſia, & leges de cibis,feriis, gradibus miniſtrorum,ſeu ordinibus*,&c. *condendi.* Hoc jus qui tribuunt Epiſcopis, allegant teſtimonium: *Adhuc multa habeo vobis dicere,ſed non poteſtis portare modò: cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Allegant etiam exemplum Apoſtolorum, qui prohibuerunt abſtinere à ſanguine,& ſuffocato. Allegant Sabbatum mutatum eſſe in diem Dominicum contra Decalogum,ut videtur. Nec ullum exemplum magis jactatur, quàm mutatio Sabbati. Magnam contendunt Eccleſiæ poteſtatem eſſe, quòd diſpenſaverit de præcepto Decalogi.

Sed de hac quæſtione noſtri ſic docent: Quòd Epiſcopi non habent poteſtatem ſtatuendi aliquid contra Evangelium, ut ſupra oſtenſum eſt. Docent iidem Canones 9. *diſtinct.* Porrò contra Scripturam eſt, traditiones condere, aut exigere, ut per eam obſervationem mereamur remiſſionem peccatorum, & ſatisfaciamus pro peccatis. Læditur enim gloria meriti Chriſti, cùm talibus obſervationibus conamur mereri remiſſionem peccatorum & juſtificationem. Conſtat autem, propter hanc perſuaſionem in Eccleſia penè in infinitum creviſſe traditionem, oppreſſa interim doctrinâ de fide & juſtitia fidei: quia ſubinde plures feriæ factæ ſunt, jejunia indicta, cæremoniæ novæ, novi honores Sanctorum inſtituti ſunt: quia arbitrabantur ſe, auctores talium rerum, his operibus mereri remiſſionem peccatorum & juſtificationem. Sic olim creverunt Canones pœnitentiales,

quorum

quorum adhuc in ſatisfactionibus veſtigia quædam videmus.

Item plerique ſcriptores fingunt, in novo Teſtamento oportere cultum ſimilem eſſe Levitico, cujus ordinationem commiſerit Deus Apoſtolis & Epiſcopis. Et videntur ſcriptores exemplo legis Moſaicæ decipi; quaſi juſtitia novi Teſtamenti ſit externa obſervatio certorum rituum, ſicut juſtitia legis erat externa obſervatio certorum rituum. Sicut igitur in lege peccatum erat edere ſuillam carnem, &c. Ita in novo Teſtamento collocant peccatum in cibis, in diebus, in veſtitu, & ſimilibus rebus. Et exiſtimant ſine his rebus juſtitiam novi Teſtamenti non poſſe exiſtere. Hinc ſunt illa onera, quòd certi cibi polluant conſcientiam, quòd horas canonicas omittere, ſit peccatum, quòd jejunia mereantur remiſſionem peccatorum, quòd ſint neceſſaria ad juſtitiam novi Teſtamenti, quòd peccatum in caſu reſervato non poſſit remitti, niſi acceſſerit auctoritas reſervantis, cùm quidem ipſi Canones tantùm de reſervatione pœnæ Canonicæ loquantur, non de reſervatione culpæ.

Unde habent jus Epiſcopi has traditiones imponendi Eccleſiis ad gravandas conſcientias? Extant enim clara teſtimonia, quæ prohibent condere tales traditiones, vel ad promerendam remiſſionem peccatorum, vel tanquam neceſſarias ad juſtitiam novi Teſtamenti, aut ad ſalutem.

Paulus Coloſſ. 2. *Nemo vos judicet in cibo, potu, parte diei feſti, novilunio, aut ſabbatis.* Item: *Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, quare tanquam viventes in mundo, decreta facitis? Non attingas, non guſtes, non contrectes, quæ omnia pereunt uſu, & ſunt mandata & doctrina hominum, quæ habent ſpeciem ſapientiæ.* Item ad Titum apertè prohibet traditiones: *Non attendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum averſantium veritatem.* Et Chriſtus Matth. 15. inquit de his, qui exigunt traditiones: *Sinite illos, cæci ſunt & duces cæcorum.* Et improbat tales cultus: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœleſtis, eradicabitur.*

Si jus habent Epiſcopi onerandi Eccleſias infinitis traditionibus, & illaqueandi conſcientias, cur toties prohibet Scriptura condere & audire traditiones? Cur vocat eas *traditiones*

ditiones dæmoniorum? Num fruſtra hæc præmonuit Spiritus ſanctus? Relinquitur igitur, cùm ordinationes inſtitutæ tanquam neceſſariæ, aut cum opinione promerendæ remiſſionis peccatorum, pugnent cum Evangelio, quòd non liceat ullis Epiſcopis tales cultus exigere. Neceſſe eſt enim in Eccleſiis retineri doctrinam de libertate Chriſtiana, quòd non ſit neceſſaria ſervitus legis ad juſtificationem, ſicut in Galatis ſcriptum eſt: *Nolite iterum jugo ſervitutis ſubjici.* Neceſſe eſt retineri præcipuum Evangelii locum, quòd remiſſionem peccatorum & juſtificationem per fidem in Chriſtum gratis conſequamur, non propter certas obſervationes, aut propter cultus ab hominibus inſtitutos.

Quid igitur ſentiendum eſt de die Dominico, & ſimilibus ritibus templorum? Ad hæc reſpondent, quòd liceat Epiſcopis ſeu Paſtoribus facere ordinationes, ut res ordine gerantur in Eccleſia, non ut per illas mereamur remiſſionem peccatorum, aut ſatisfaciamus pro peccatis, aut obligentur conſcientiæ, ut judicent eſſe neceſſarios cultus, ac ſentiant ſe peccare, cùm ſine offenſione aliorum violant. Sic Paulus ordinat, ut *in congregatione mulieres velent capita: ut ordine audiantur in Eccleſia interpretes*, &c.

Tales ordinationes convenit Eccleſias propter charitatem & tranquillitatem ſervare eatenus, ne alius alium offendat, ut ordine, & ſine tumultu omnia fiant in Eccleſiis. Verùm ita, ne conſcientiæ onerentur, ut ducant res eſſe neceſſarias ad ſalutem, ac judicent ſe peccare, cùm violant eas ſine aliorum offenſione, ſicut nemo dixerit peccare mulierem, quæ in publicum non velato capite procedit, ſine offenſione hominum.

Talis eſt obſervatio diei Dominici, Paſchatis, Pentecoſtes, & ſimilium feriarum, & rituum. Nam qui judicant Eccleſiæ autoritate, pro Sabbato inſtitutam eſſe diei Dominici obſervationem, tanquam neceſſariam, longè errant. Scriptura concedit, ut obſervatio Sabbati nunc ſit libera. Docet enim cæremonias Moſaicas, poſt revelatum Evangelium, non neceſſarias eſſe. Et tamen quia opus erat conſtituere certum diem, ut ſciret populus quando convenire deberet, apparet Eccleſiam ei rei deſtinaſſe diem Dominicum,

nicum, qui ob hanc quoque cauſam videtur magis placuiſſe, ut haberent homines exemplum Chriſtianæ libertatis, & ſcirent nec Sabbati, nec alterius diei obſervationem neceſſariam eſſe.

Extant prodigioſæ diſputationes de mutatione legis, de cæremoniis novæ legis, de mutatione Sabbati, quæ omnes ortæ ſunt ex falſa perſuaſione, quòd oporteat in Eccleſia cultum eſſe ſimilem Levitico. Et quòd Chriſtus commiſerit Apoſtolis & Epiſcopis, excogitare novas cæremonias, quæ ſint ad ſalutem neceſſariæ. Hi errores ſerpſerunt in Eccleſiam, cùm juſtitia fidei non ſatis claré doceretur. Aliqui diſputant diei Dominici obſervationem non quidem juris divini eſſe, ſed quaſi juris divini, præſcribunt de feriis quatenus liceat operari. Hujuſmodi diſputationes quid ſunt aliud, niſi laquei conſcientiarum? Quanquam enim conentur epykizare traditiones, tamen nunquam poteſt æquitas deprehendi, donec manet opinio neceſſitatis, quàm manere neceſſe eſt, ubi ignorantur juſtitia fidei, & libertas chriſtiana.

Apoſtoli juſſerunt abſtinere à ſanguine, quis nunc obſervat? neque tamen peccat qui non obſervant, quia ne ipſi quidem Apoſtoli voluerunt onerare conſcientias tali ſervitute, ſed ad tempus prohibuerunt propter ſcandalum. Eſt enim perpetua voluntas Evangelii conſideranda in decreto. Vix ulli Canones ſervantur accuratè, & multi quotidie exoleſcunt apud illos etiam, qui diligentiſſimè defendunt traditiones. Nec poteſt conſcientiis conſuli, niſi hæc æquitas ſervetur, ut ſciamus eos ſine opinione neceſſitatis ſervari, nec lædi conſcientias, etiamſi traditiones exoleſcant.

Facilè autem poſſent Epiſcopi legitimam obedientiam retinere, ſi non urgerent ſervare traditiones, quæ bona conſcientia ſervari non poſſunt. Nunc imperant cœlibatum, nullos recipiunt, niſi jurent ſe puram Evangelii doctrinam nolle docere. Non petunt Eccleſiæ, ut Epiſcopi honoris ſui jactura ſarciant concordiam, quod tamen decebat bonos paſtores facere. Tantùm petunt, ut injuſta onera remittant, quæ nova ſunt, & præter conſuetudinem Eccleſiæ Catholicæ recepta. Fortaſſis initio quædam conſtitutiones

ſtitutiones habuerunt probabiles cauſas, quæ tamen poſterioribus temporibus non congruunt. Apparet etiam quaſdam errore receptas eſſe, quare Pontificiæ clementiæ eſſet, illas nunc mitigare, quia talis mutatio non labefacit Eccleſiæ unitatem. Multæ enim traditiones humanæ tempore mutatæ ſunt, ut oſtendunt ipſi Canones. Quod ſi non poteſt impetrari, ut relaxentur obſervationes, quæ ſine peccato non poſſunt præſtari, oportet nos regulam Apoſtolicam ſequi, quæ præcipit: *Deo magis obedire quàm hominibus.* Petrus vetat *Epiſcopos dominari, & Eccleſiis imperare.* Nunc non id agitur, ut dominatio eripiatur Epiſcopis, ſed hoc unum petitur, ut patiantur Evangelium purè doceri, & relaxent paucas quaſdam obſervationes, quæ ſine peccato ſervari non poſſunt. Quòd ſi nihil remiſerint, ipſi viderint, quomodo Deo rationem reddituri ſint, quòd pertinaciâ ſuâ cauſam ſchiſmati præbent.

EPILOGUS.

HI ſunt præcipui articuli, qui videntur habere controverſiam; quanquam enim de pluribus abuſibus dici poterat, tamen, ut fugeremus prolixitatem, præcipua complexi ſumus, ex quibus cætera facilè judicari poſſunt. Magnę querelę fuerunt de Indulgentiis, de Peregrinationibus, de abuſu excommunicationis. Parochiæ multipliciter vexabantur per Stationarios. Infinitæ contentiones erant Paſtoribus cum Monachis, de jure Paſtoribus cum Monachis, de jure Parochiali, de Confeſſionibus, de ſepulturis, de extraordinariis concionibus, & de aliis innumerabilibus rebus. Hujuſmodi negotia prætermiſimus, ut illa, quæ ſunt in hac cauſa præcipua, breviter propoſita, faciliùs cognoſci poſſent. Neque hîc quicquam ad ullius contumeliam dictum, aut collectum eſt. Tantùm ea recitata ſunt, quæ videbantur neceſſariò dicenda eſſe, ut intelligi poſſit, in doctrina ac cæremoniis, apud nos nihil eſſe receptum contra Scripturam, aut Eccleſiam Catholicam, quia manifeſtum eſt, nos diligentiſſimè caviſſe,

ne qua nova & impia dogmata in Eccleſias noſtras ſerperent.

Hos articulos ſuprà ſcriptos, voluimus exhibere juxta edictum C. M. in quibus confeſſio noſtra extaret, & eorum, qui apud nos docent, doctrinæ ſumma cerneretur. Si quid in hac confeſſione deſiderabitur, parati ſumus latiorem informationem, Deo volente, juxta Scripturas exhibere.

Cæſareæ Majeſt. V.

Fideles & Subditi,

JOANNES, Dux Saxoniæ, Elector.
GEORGIUS, Marchio Brandenburgenſis.
ERNESTUS, Dux Luneburgenſis.
PHILIPPUS, Landgravius Heſſorum.
JOANNES FRIDERICUS, Dux Saxoniæ.
FRANCISCUS, Dux Luneburgenſis.
WOLFFGANGUS, Princeps ab Anhalt.
SENATUS Magiſtratuſque Nurnbergenſis.
SENATUS Reutlingenſis.

§. I. Re

ſpiritu profecta, *mandata* pura *hominũ* dici non poſſunt, ideoque & ipſi imperatores in rebus Eccleſiaſticis his ſubjecti eſſe tenentur.

§. 2. *Obſervatio ad Art.7.*

IMperator bonus, ait D. Ambroſius ad Auxentium, *intra Eccleſiam, non ſupra Eccleſiam eſt. Quid enim honorificentius, quàm ut Imperator Eccleſiæ filius eſſe dicatur* ? Licet Chriſti regnum de hoc mundo non ſit, eſt tamen ſupra mundum. Mundum ipſe regit judicatque, non politico fine modoque, ſed Chriſtiano, hoc eſt, in ordine ad ſalutem. Stulta fuit quorundam hominum erga Principes ſeculares adulatio, qui illis regimen & judicia in Eccleſiam ejuſque ordinem, miniſteria, ac homines tribuerunt; Eccleſiæ Prælatos ſpoliarunt, regnumque Chriſti, regnis mundi, turpi ſervitute, ad æternum ſui capitis opprobrium ſubjecerunt. Quàm in ſervitio adulationem uſque adeò invaluiſſe novimus, ut feminæ etiam arbitrio, tanquam ſummo ſacrorum Pontifici ſeſe viri ignominioſè ſubmitterent. Nulli niſi Epiſcopo commiſſum Eccleſiæ regimen in S. Literis legimus. Dominis carnalibus Chriſtiani, niſi in rebus carnis & politicis, obſequium non debent, alioquin audituri, quod *mandatis hominum* obſequantur, & nati in libertatem legis gratiæ, turpi *ſervitutis jugo ſubjecti* ſint; ut illi, *Iudaicis fabulis attendentes* olim, patiebantur ſe ab Hebræis *judicari in cibo, potu, & ſabbatis, quæ erant umbra futurorum.* Col.1. & ad Tit.1. Epiſcopis humano quidem jure, ut Principibus, ſecularis gladii poteſtas concedi poteſt, ſed viciſſim ſecularibus Principibus, Eccleſiæ claves tradere nullo jure licet. Dathan & Abiron non impunè ſacra tractarunt, Moyſes tamen impunè profana. De decimis Eccleſiaſticus jure cognoſcit, cum Eccleſiæ hæ primùm decretæ ſint. Qui matrimonium dixit eſſe Sacramentum, Eccleſiæ ejus quoque judicium commiſit.

Poſtremo Confeſſionis hujus aſſertores convenio, obteſtorque, ut conſiderent quàm manifeſto S. Literarum & Eccleſiaſtici magiſtratus contemptu negent, illum decreta legeſque poſſe condere in conſcientia obligantes; poteràtne diſertius clariuſque ſcriptura loqui, quàm cum dicit, quod illi *qui*

poteſtati à Deo ordinatæ reſiſtunt damnationem ſibi acquirant, & ſubditos eſſe jubet, propter conſcientiam? Cùm & olim præcepe-rit, *parere imperio Sacerdotis ſub mortis* interminatione, & nunc non ſolum *Apoſtolorum, ſed & ſeniorum Eccleſiæ decreta cuſtodire*. Act. 15. & 16. *tenete traditiones, non per epiſtolas tantum, ſed & ſermonem datas*, Paulus jubeat 2. Theſ. 2. *vetitque obddire omnes Præpoſitis*, Hebr. 13; denique, *qui Eccleſiam non audierit, Ethnicis* accenſeatur. Profectò qui tam manifeſtæ ſcripturarum ſententiæ obnititur, nullam retinet conſcientiam.

Illud quidem fatemur, quod *Epiſcopum oporteat eſſe, non ſuperbum, nec iracundum, ſed tamen potentem exhortari, & eos qui contradicunt arguere, &c.* Tit. 1. v. 7. Optimè enim hi præſunt, qui *non ut dominantes in cleris ſunt, ſed forma gregis facti ex animo*. 1. Petr. 3. v. 5. ſicut *filius hominis*, licet diſcipulorum ſuorum Dominus, *non* tamen *venit miniſtrari, ſed miniſtrare*, qua in re Apoſtolis dixit: *exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, & vos faciatis*. Joh. 13. quod obſequium, ut Chriſto imperium non ſuſtulit, ita nec Epiſcopis auferet, Chriſtus idoneo ſe titulo Paſtorem dixit, qui licet ſupra oves longè excellat, illis tamen miniſtrat. Unde & Petro dictum, *Paſce oves meas*: Magiſtri tibi dignitas & Paſtoris munus defertur; verum eis quibus imperas, ſimul ſervies. Benè in eadem perſona ſociantur humilitas & dignitas, cum hanc ſolam *à Chriſto pro quo legatione fungitur*, & S. Spiritu, quo dirigente omnia adminiſtrat, ipſe tanto indignus munere, participet. *Viſum*, inquiunt Apoſtoli & Seniores, *eſt Spiritui S. & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, niſi hæc neceſſaria, ut abſtineatis ab immolatis, &c.* Act. 15. Primas hic *Spiritui S.* deferunt: *neceſſariamque* eſſe legem dicunt. Et quis neget hic ex conſcientia obſequendum, cùm non tam homo imperat, quàm Deus? An Chriſti voces non ſunt: *qui vos audit, me audit*? Luc. 10. Iterum, quis dicat, nos mandatis hominum (qualia erant Phariſaica, & Judaica, poſt Chriſtum) obſequi, quando Eccleſiæ ſenioribus, legibuſque obſequimur, quæ autore divino Spiritu ſtatuuntur? Non prorſus ſerviliter obedit, qui huic obſequitur: nam *ſervire Deo, regnare eſt, & ubi Spiritus Domini, ibi libertas eſt*, 2. Cor. 3. v. 17.

Quo-

Quocirca nihil hic eſt, quod obſtet concordiæ. Si hujus & art. 4. ſcripturæ tantum admittantur, ex noſtro & adverſariorum voto confecta res eſt.

EPILOGVS.

PLacet Confeſsioniſtarum epilogus, quo profitētur, *ſe in hac Confeſſione, ſi quid deſideretur, paratos eſſe latiorem informationem juxta Scripturas S. exhibere.* Hoc igitur latioris in formationis onus, cùm in me ſuſceperim, & ejuſmodi ſcripturas, jure deſideratas hactenus, candidè integreque dederim, neque præter illas, aut quicquam ab Adverſariis in rebus fidei, aut à me recipi cupiam, quòd divina fides, humanis niti verbis ſententiáque non poſsit: hanc tam æquam, & neceſſariam hujus Confeſsionis Reformationem, ad quam ſuomet etiam judicio tenentur, ultro admiſſuros, noſque in mutua religionis concordiâ, in una fide atque Eccleſia, ſub univerſali Chriſti capite, ejuſque in terrs Vicario amplexuros ſperamus; ut iſtic aliquando ſociemur, ubi concordia ſine lite, quies ſine perturbatione, gaudium ſine mœrore, Chriſti fideles æterno charitatis vinculo complectitur.

FINIS.

JUDICIUM REVERENDI D. EPISCOPI MYS. ET SUFFRAG. MOGUNTINENSIS.

LEgi *Meditatæ Concordiæ Partem II. quæ Auguſtanæ Confeſſionis inchoatam Reformationem complectitur* ab Adm. Reverendo *P. Iacobo Maſenio* Societatis JESU Presbytero, doctè, modeſtè, & ſolidè elaboratam, nihilque continentem quod Catholicæ doctrinæ adverſetur; multa verò unde devii ab unitate Catholica Lutherani ad veram Reformationem & priorem communionem aſpirent: dignam proinde, quæ ad reducendos errantes publici juris fiat. Coloniæ. 26. Novembris. 1661.

P. de Walenburch. Epiſc. Myſ. Suffrag. Mogunt.

CENSURA ORDINARII.

Per Archidiœceſin Colonienſem.

R. P Jacobi Maſenii Pars altera Meditatæ Concordiæ, quæ inchoatam Confeſſionis Auguſtanæ Reformationem continet, ſi quâ doctrinâ, ac candore conſcripta eſt, tam zeloſum, ac ſincerum nanciſcatur lectorem Confeſſioniſtam, orbi Catholico, deſideratæ tantopere Concordiæ, ſpem maximam fecerit. Integerrimæ certè doctrinæ, ac bonis moribus nihil habet contrarium. Itaque Reip. Chriſtianæ magno bono publicæ luci dabitur.

Ita cenſeo 27. *Novembr. Anno* 1661.

P. Auſſemius Canonicus Metrop. S. C. D. Lib. Cenſor. Ordinarius.

APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS.

EGo infra ſcriptus Societatis JESU, per inferioris Rheni tractum Præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi facta ab Admodum R. P. GOSVVINO NICKEL Societatis noſtræ Præpoſito Generali permitto, ut Pars altera *Meditatæ Concordiæ* quæ *inchoatam Auguſtanæ Confeſſionis Reformationem* complectitur, lecta, probataque, publici juris fiat. In cujus rei fidem, haſce manu mea ſubſcriptas conſuetoque officii ſigillo munitas dedi Coloniæ Anno 1661. 23. Novemb.

Ioannes Zvvenbruggen.